MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81279-13

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

AUTHOR:

FRIGELL, ANDERS

TITLE:

PROLEGOMENA IN T. LIVII LIBRUM XXII

PLACE:

GOTHAE

DATE:

1883

Master Negative #

93-81279-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG93-B1918          Acquisitions     NYCG-WMK
FIN PN FRIGELL, ANDERS AND TW PROLEGOMENA - Cluster 1 of 1 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B1918              RTYP:a    ST:s   FRN:   MS:   EL:1    AD:03-02-93
  CC:9665  BLT:am      DCF:    CSC:d   MOD:    SNR:      ATC:       UD:03-02-93
  CP:ge      L:lat     INT:    GPC:    BIO:    FIC:0     CON:
  PC:s      PD:1883/             REP:    CPI:0   FSI:0     ILC:       II:0
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:        COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  055  3   PA6459‡b.F74
  100 1    Frigell, Anders,‡d1820-1897.
  245 10   Prolegomena in T. Livii librum XXII‡h[microform]/‡cscripsit Andreas Fr
         igell.
  260      Gothae :‡b[s.n.],‡c1883.
  300      64 p.  8vo.
  600 00   Livy‡xCriticism and interpretation.
  LDG      RLIN
  QD       03-02-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/13/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87LE F91

Columbia University
in the City of New York

Library

Special Fund

Given anonymously

PROLEGOMENA

IN

T. LIVII LIBRUM XXII.

SCRIPSIT

ANDREAS FRIGELL.

GOTHAE MDCCCLXXXIII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI ANDREAE PERTHES.

Quo tempore librum Livii alterum et vicesimum, quem antea Stocolmae edideram, typis Gothanis emendatius repetendum recensebam, de scriptura etiamnunc in controversiam vocata commentationes conscripsi, quas iam prelo subiecturus pauca addam ad ea, quae in Epilegomenis ad T. Livii librum vicesimum primum in annalibus universitatis litterariae Upsaliensis anniversariis ante duos annos foras datis praefatus sum. Puteaneum enim codicem, quem solum in hoc libro ipse contuli, certissimum ducem secutus, ubi cum eo aut inter se discrepant hodie iudices critici, varietatem lectionum, quae quidem in praesenti rei statu alicuius momenti essent, una cum scriptura codicum C et M atque editionum praecipuarum iam inde ab antiquissimis exemplaribus prolatam in uno conspectu posui, quidque de singulis rebus iudicarem, enuntiavi. In ipso contextu Liviano exarando orthographia in incluta officina in usum recepta omnino mihi pro norma fuit, etiamsi in commentariis a contractius scribendi consuetudine mediae aetatis paululum recessi; neque tamen dubito, quin hac in re ratio quaedam ad regulam exaequata, si perfici possit, gratior sit legentibus quam inconstantia veterum librariorum servili imitatione expressa. Recentissimorum mos est editorum, ut, si quid ex oratione contexta removendum censeant, id non eiiciant, sed suo loco quasi fixum et stabile uncis includant, atque in supplementis vel verborum vel partium verborum aliis utantur litterarum formis: hoc vero in iis praesertim libris, qui potissimum in usum scholarum iuvenumque publicantur, non necesse esse videtur, nisi si quando audacius aliquid atque inauditum additum est: tum enim in damnis sarciendis tum in interpolationibus secernendis res in eo vertitur, ut sufficiens ratio reddatur, quod non notulis efficitur. Nugae verborum ab oscitantibus librariis semel inlatae si in aevum repetitae legentium unicuique inclementer ante oculos ponuntur,

378897

NOV 1 1905 Brockhaus 462.12

taedio animos eorum adficiunt, qui erant lectione delectandi: hae vero in farraginem glossematum coniectae curiosioribus sunt reservandae; cui purgationi summam religionem esse adhibendam non opus est addere.

In editionibus, quas praeter ceteras contuli, referendis his in sequenti utar scripturae compendiis:

1. = editio princeps Romae circa an. 1469 a Conrado Sueinheimio et Arnoldo Pannartio typis descripta.

3. = editio tertia, Venetiis 1470, curante Vindelino Spirensi.

Al. = ed. Aldina minor (in 8°) Venetiis an. 1519.

Ald. = ed. Aldina maior (in folio), Venetiis 1521.

Als. = Alschefski, Berolini 1846.

Asc. = ed. Ascensiana Parisiis 1510. fol.

Bkr. = Libri Livii recogn. Imman. Bekkerus Berol. 1829.

Crev. = ed. Crevierii Parisiis 1747.

Drak. = Drakenborch Amstelodami 1740. 4°.

FH = Libri Livii XXI. et XXII. ed. Fabri, recogn. Heerwagen, Lipsiae 1851.

Frob. = ed. Basiliensis Frobeniana 1535, ed. Rhenani.

Gron. = I. F. Gronovius Basileae 1740.

Grut. = Ianus Gruterus, Francof. 1628. Fol.

Gryn. = ed. Basiliensis Frobeniana administrante Sim. Grynaeo 1531.

Hz = Martinus Hertz ed. Lipsiae 1860.

Mlr = Libri Livii XXI et XXII, recognovit H. J. Müller, Berol. 1882.

Mog. = ed. Moguntina Nic. Carbachii 1518.

Mvg = editiones Madvigii Hauniae 1862, 1872, 1880, quae separatim signantur Mvg 1, Mvg 2, Mvg 3.

Rmn = Livii libri XXI et XXII ed. O. Riemann et E. Benoist Parisiis 1881.

Rup. = Ruperti, Gottingae 1807.

SD = ed. Stroth, recens. Doering Gothae 1822.

Sob. = Jacobus Sobius Coloniae 1525. Fol.

Tauc. = ed. Tauchnitii stereot. Lips. 1848.

Tkg = C. Tücking, Paderbornae 1879.

Wbn = W. Weissenborn apud Weidmannos edidit primum

Lipsiae 1854 et sextum Berolini 1877, quae singulae signantur Wbn 1, Wbn 6.

Wln = E. Woelfflin, Lipsiae 1873.

Scripta critica recentissima haec sunt: I. N. Madvigii Emendationes Livianae, ed. 2. Hauniae 1877, E. Wölfflin Livianische Kritik, Berolini 1864, A. Harant Emendationes et adnotationes ad T. Livium, Parisiis 1880, A. Luchs Emendationum Livianarum particula I. Erlangae 1881.

Editio Moguntina Carbachii inter Aldinas intercedit, inter primam et secundam Madvigii libellus criticus Woelfflinii; Drakenborchio prior editio Crevierii usui fuit, Rupertio prior illa Strothii, Tauchnitii nova editio stereotypa (1848) ad vetustarum editionum fidem recognita non est suae aetatis.

Nonnullas lectiones cod. Puteanei, de quibus non satis certus fui, Doctor Carolus Wahlund, Upsaliensis, benevole mihi denuo inspexit.

1, 1 *adpetebat*, *cum* (vel *appet. quum*) 1. 3. Al. Mog. Ald. Gryn. Frob. Gron. Crev. Drak. Als. FH, Wbn 1. *adpetebatque* P CM. *adpetebat, atque* Hz, Mvg 1. *adpetebat; itaque* Wln, Mvg 2. 3. Wbn 6. Tkg, Rmn, Mlr. Dicit enim Woelfflin lectionem illam vulgatam *(cum)* ab Laur. Valla profectam esse, eamque neque cum codice P convenire, utpote in quo sit *que*, dum alterum illud semper *cum* (non quum) scribatur, nec a consuetudine sermonis commendari, quamvis haec ipsa lectio a grammaticis quibusdam ut exemplum eximium adhibita sit.

Vocabulum illud *cum*, de quo dissentiunt, Valla Poggii correctioni attribuit (alia ibidem ipse emendavit). Ut autem de scriptione Puteanei rectius iudicetur, opus est indolem illius codicis paulo accuratius cognovisse. Non semper ibi *cum* scribitur, sed interdum *qum*, ut 22, 59, 17. 27, 17, 1. 28, 34, 7 *(qum quo)*, quemadmodum saepe *q* vel *qu* pro *c* invenitur, v. c. *qui* pro cui 22, 1, 18. 24, 26, 6; 44, 5. 25, 6, 7; 17, 5. *quoepit* pro coepit 22, 3, 14. Nec desunt exempla contrariae mutationis. Inprimis vero memorabilis est consuetudo *que* enclitici confingendi modo ex vano, modo ubi sequitur vocabulum ab c vel q vel qu incipiens, quod ad coniunctionem illam efficiendam quodammodo invitabat, ut 24, 43, 5 atq. (ab Q.), 26, 13, 14 eq. (et Q.) 28, 9,

1 cumque (cum Q.), 26, 22, 11 honorumque fabio (honorum Q. Fabio), 25, 12, 6 feris quaeq. (ferisque, quae), 24, 36, 1 curaq. (cura, quae), 25, 18, 5 stationesq. 26, 13, 7 contraq., 24, 20, 14 temtandumq. (temptandum. Quare), 24, 16, 13 que (pro cui), 22, 14, 11 urbeque (urbe, qua), 27, 49, 9 delerique (deleri, quin). Itaque in tanto studio *que* istud promptissimum, ubi fieri potuit, ad verbum antecedens adfingendi facile apparet, sive *qum* hoc loco sive *cum* ante se scriptum invenerit librarius, *adpetebatque* ex more usitato conformatum esse. Si, ut credunt nonnulli, *quom* scriptio fuit genuina, similiter mutatio facta est atque in P 28, 35, 4 *cum iussus* pro *quo iussus,* 28, 45, 21 *cum ex silvis* pro *quam ex silvis* legitur, ac saepe ecus, aecum, relicum, propincum.

Haud inconsulte doctissimi viri hoc ipsum, de quo agitur, exemplum pro firmo et stabili dederunt, Grotefend § 325, Krueger § 623, A. 1., Kuehner § 149. 5, Madvig 358, A. 1. Haec est enim explicatio Kuehneri: *Iam ver adpetebat, cum* Hannibal ex hibernis *movit,* i. e. cum iam ver adpeteret, H. ex hib. movit. Antecedit haec adnotatio: Häufig wird das Verhältnis des Hauptsatzes und des Nebensatzes umgekehrt, indem der Nebengedanke (die Bestimmung der Zeit) in den Hauptsatz gestellt wird, der Hauptgedanke dagegen als ein Nebensatz mit cum nachfolgt. In eandem sententiam Krueger: Mit minderer Lebhaftigkeit liefse sich derselbe Gedanke auch so ausdrücken, dafs der Hauptsatz zum Nebensatze gemacht würde; z. B. „Als der Frühling herannahete, brach Hannibal aus den Winterquartieren auf.“ Id enim potissimum dicendum erat, Hannibalem ex hibernis (i. e. Gallia cisalpina) movisse, nec verbo prioris enuntiati, etsi quendam quasi rerum statum depingere videtur, aliud designatur quam spatium temporis, in quod incidit id, quod factum esse narratur. Itaque parum recte Woelfflin *cum* illud ob eam causam cum loquendi consuetudine minus convenire contendit, quod profectio Hannibalis non repentina fuerit. Quam late pateat is usus, permulta exempla docent. 3, 59, 1 Ingens metus incesserat patres, vultusque iam iidem tribunorum erant, qui decemvirorum fuerant, cum M. Duillius ... inquit. 24, 29, 1 Dies haud ita multi intercesserunt, cum ex Leontinis legati venerunt. Sive

sic est 21, 39, 4: Cum Placentiam consul venit, iam ex stativis moverat Hannibal, sive sic: Iam ex stativis moverat H., cum Plac. consul venit, non id dicitur, praeter opinionem consulem venisse. Cum scribit Cicero ad Varronem, Fam. 9, 7, *Coenabam apud Seium, cum utrique nostrum redditae sunt a te litterae,* indicium dat temporis, quo litterae adlatae sint, non id potissimum commemorat, se apud Seium coenavisse, litterasque tum repente adlatas.

Quod coniecit vir doctissimus, *itaque,* iam ideo suspectum est, quod tum futurum fuisse, ut *ita* omitteretur, non credibile est. Eoque minus conveniebat ut rem memorabilem narrare ver adpropinquasse atque eam causam fuisse, cur ex hibernis moveret, quod nondum adpetente vere castra movere non veritus erat. Tum iis, quae conferri voluit, exemplis nihil probatur. Nam 22, 19, 11, postquam multis verbis descripta est condicio tum Romanorum tum hostium, ab *Itaque* incipit narratio de fuga hostium, quae inde effecta est. Pariter 10, 20, 9 hoc dicitur: *itaque signa canere iussit agmenque hostium adgreditur,* ubi antecessit longa narratio de Samnitibus praeda onustis secure abeuntibus et de iis, quae per exploratores cognoverat Volumnius, atque haec postremo adiecta sunt: *tempus adgrediendi aptissimum visum est, et iam lux adpetebat.* Tum demum opportunitate proelii ineundi satis declarata haec sequuntur: *itaque signa canere* cet. Huius vero loci talis usus factus est, ut, quae cum praecedentibus erant coniuncta, sublata copula ad sequentia retraherentur atque hic ambitus verborum exsisteret: *Iam lux adpetebat: itaque signa canere iussit* cet.; quo modo exemplum valde idoneum praeberi videbatur. Scilicet, si lux adpetens pro causa habita sit, cur signa canere iuberet Volumnius, etiam ver adpetens satis causae fuisse, cur Hannibal ex hibernis moveret. Atqui causam profectionis maturatae Livius ipse eodem loco aperte declarat narrans Hannibalem ibi cum ingenti periculo ac metu moratum iam ante in Etruriam transire frustra conatum esse.

Attamen non semper longa narratione opus est, ut ratio rei susceptae intellegatur: possunt et pauca verba ita esse comparata, ut ad causam indicandam sufficiant. 35, 8, 1 *Cum haec in Hispania gerebantur, comitiorum iam adpetebat dies. Itaque*

L. Cornelius consul relicto ad exercitum M. Claudio legato Romam venit. Hoc ita narratur, ut propter comitia consularia, quae instarent, Cornelio Romam se conferre necesse fuisse appareat. Aliter res se habet 29, 10, 1 *Iam comitiorum adpetebat tempus, cum P. Licinii consulis litterae Romam adlatae* (sunt) cet. Hic id traditur, litteras Licinii consulis ex Bruttiis missas, quibus morbum excusaret, cur ipse Romam ad consules creandos venire non posset, eo tempore, quo comitia consularia prope essent, Romam perlatas. Sic plane eo loco, de quo disputamus, Hannibal castra movisse dicitur quo tempore ver adpeteret.

1, 2 *videre* Wln (Livian. Kritik p. 6), Mvg 2, Tkg, Rmn, Mlr. *viderent* PC Curio, Grut. rell. ante Gron., porro Als. Wbn, FH. *viderunt* edd. ante Curionem et plerique post Gron., in quibus Mvg 1. Cf. Luchs, Emendatt. I, pag. 5.

1, 16 *divis* Stroth („unius codicis auctoritate"), Bkr, FH, Wbn, Mvg, Wln. *divinis* PC edd. ante Mog. *di divinis* Als. *divi* Mog. rell. ante Strothium, item Rup. Tkg.

Ad id, quod praecedit, *cordi esse,* requiri dativum monuerunt Perizonius et Fabri, cf. Woelfflin Livian. Kritik p. 9; usurpatur autem in re sollemni forma amplior *divi, divis* (ut 8, 9, 6. 29, 27, 1. 23, 11, 1. 7, 26, 4); vulgari tamen accommodatione verborum abiit in *divinis carminibus.*

Ib. *carminibus* PC edd. ante Hz. *carmina* Hz. (auctore Hauptio). *e carminibus* coni. Mvg, Rmn, Mlr. *ex carm.* coni. Wln, Wbn 6. *suis carmininibus* Iac. Gron. Tkg. — *praefarentur* PC edd. ante Gron., post Drak. SD, Rup. Als. FH, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr. *profarentur* coni. Gron. Bkr, Hz, Mvg.

Hoc narratur: Decretum ... cetera ita fierent, quemadmodum decemviri, cum libros (Sibyllinos) inspexissent, *cordi esse divis carminibus praefarentur,* i. e. carminibus inde proditis praescriberent. Aliud est carmen praefari vel verba praeire, quibus quis se devoveat aut ob aliam rem. Est enim omnino carmen oratio numeris vincta, ut 3, 64 10 rogationis carmen, 1, 26, 6 lex horrendi carminis. Etiam poetae carmine res futuras praedicunt. 42, 2, 7 decemviri libris fatalibus inspectis scriptum edidisse dicuntur, quomodo esset sacrificandum. Sic enim dicta sacra fidelius servata animis hominum figebantur. Inutile esse videtur

e vel *ex* addere, nec licet per codices. Memorantur quidem saepe, quae sunt procurata votaque ex libris Sibyllinis (21, 62, 11) vel edita ex fatalibus libris (22, 10, 10. 42, 2, 3); hoc autem loco decemviri, qui libros illos adierant, carminibus Sibyllae (non fortasse suis versibus locuti) praefati dicuntur, quomodo prodigia quaedam essent procuranda. Repudiandum est, quod invenit Gron., *profarentur* sive vaticinarentur; continuo enim referuntur non de futuris praedicta, sed quae carminibus renuntiatis de ira deorum placanda praescripta erant.

1, 19 *et eum* PCM edd. *[et] eum* Mvg. *eum* Rmn. Utrumque verbum sublatum voluerat Gron. Inprimis in parenthesi *et* non solum explicandi, sed etiam amplificandi causa ponitur 21, 12, 7. 27, 1, 2; 48, 6. 28, 2, 4. 29, 23, 4. 40, 39, 4. Cf. infra ad 2, 3 et 55, 3.

2, 2 *paludes* coni. Wln, Wbn 6, Tkg, Mvg 3, Mlr. *paludem* P edd. Cf. c. 3, 1. Vide infra ad 42, 6 qua vergant.

2, 3, *Hispanos et Afros — et omne veterani erat robur exercitus — admixtis* cet. Haec est scriptura Puteanei (nisi quod *robor* habet), nec quemquam offendat *et* (h. e. et id, et quidem) parenthesi explicativae additum; vide supra ad 1, 19. Tollunt *erat* aliorum codicum auctoritate; sed simillimus hic locus aliis est: 27, 14, 5 Hispani primam obtinebant frontem, et id roboris in omni exercitu erat. 28, 2, 4 hanc iustam legionem — et id ferme roboris erat — in prima acie locat. Ut praesenti loco *id* deest, sic etiam genitivus roboris. Quod existimat Woelfflin, *erat* et hic et 21, 41, 4 spurium esse, id tantum abest, ut mihi persuadeatur, ut contra etiam altero illo loco *erat* pro vero habeam, alia illic verba, quae explevi, omissa esse putem. Exhibuerat ed. princeps *et omne quod veterani erat robur exercitus,* quae lectio usque ad Gron. mansit, qui *et* in *id* mutato *quod* removit. Receperunt id Mvg et Wbn. Alii cum Fabrio *Hispanos et Afros et omne veterani robur exercitus* scribunt ad Polybii locum 3, 79, 1 relegantes, ubi τοὺς Λίβυας ... δυνάμεως „und überhaupt die aus Spanien mitgebrachten Truppen" interpretantur. Monuerat tamen Heerwagen: „In der angeführten Stelle des Polybius kann καὶ wohl auch im Sinne von ‚das heifst, mit einem Wort' gefafst werden"; quae quidem interpretatio melius convenit cum

loco Liviano 27, 14, 5 supra laudato, ubi si Hispanos solos robur exercitus nominavit, multo magis id in Hispanos et Afros valet non aliis adiunctis.

2, 6 *neque aut* coniecit Perizonius, scripsit Hz, *nec aut* Wbn 1, Mvg rell. *aut* PC edd. ante Wbn. Ad *aut ... aut* ex praecedentibus *neque* tantum cogitando repetendam eandem particulam negantem censuerunt Stroth, Rup., alii, quia *aut* post *neque* (nec) saepissime pro *neque* poneretur (Doering). *aut corpora animis* cet. sic exponenda esse ait Crevier, quasi legatur: Neque corpora animis neque animos spe sustinebant.

2, 8 *aqua* e coni. Finckii Mvg 1. rell. *aquas* (aquas *s*arcinas) P edd. ante Mvg. Omnia obtinentibus aquis nihil nimirum in aquas coniici aut cumulari poterat, sed quae erant in aqua, in ea cumulabantur.

2, 9 *aut iumentorum* Hertz, Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. *Iumentorum* P edd. ante Hertzium, post Tkg. Hoc loco agitur de Gallis, quorum alii sarcinas in aqua cumulabant, quibus incumberent, alii iumentis prostratis pro cubilibus utebantur. Tum illi tum hi nihil aliud, nisi quod ex aqua emineret, quaerebant. Vid. Polyb. 3, 79, 10.

3, 9 *iratus* cdd. edd. *ratus* cod. Harl. *proponens iratus* 1. aliaeque paucae vett. Quod ad proxime sequentia pertinet.

Ib. *pronuntians, Quin immo* scripsi. *cum immo* PC. *cum dedisset* cod. Harl. *Quin immo* 1. *proposuit. Quin immo* 3 Asc. Mvg. Ald. Sob. Gryn. Grut. Gron. Drak. SD, Bkr, Tauc. *cum dedisset, Immo* Als. FH, Wbn, Wln. *cum proposuisset, Immo* Hz, Mvg, Tkg, Rmn, Mlr.

Pro eo igitur, quod antiquitus in edd. est *quin,* libri manu scripti *cum* praebent, atque omnino et *quin* et *cum* variis mutationibus obnoxia fuerunt (vid. supra ad 1, 1): nonnumquam *quin* in *qui* vel *que* abiit, ut 27, 49, 9 *que supersint* (nempe *delerique,* ubi praecedit *deleri*) pro *quin supersint* scriptum esse primus intellexit Gronovius, ubi alii multi hanc particulam corruptam eiecerunt. Eadem vi, qua hoc, qui adest, loco, saepe a Livio *quin* usurpatur, ut 1, 45, 6; 57, 7. 7, 40, 18. 8, 32, 6. 9, 10, 7; 11, 2; 18, 11. 27, 26, 10. Est quidem proprie interrogativum (i. q. cur non), tum vero hortativum, et quidem cum aliis locis tum

hoc, de quo nunc quaerimus, cum ira et irrisione: Non modo non hostem a populatione prohibeamus, inquit consul increpans, sed contra hic libentissime tranquilli maneamus: Nein doch (Ei so doch) lasset uns im Gegenteil lieber hier ruhig bleiben! vel, ut est in commentariolo Oxoniensi an. 1860 salva relicta pristina scriptura: Why not sit here before the walls of Arretium, whilst Hannibal slips out of our hands and devastates Italy?

Falso iam illi *cum* debentur ii, qui nuper prodierunt, coniunctivi *dedisset* et *proposuisset,* nec multum tribuendum Harleiano codici, qui vel hoc loco scatet erroribus. Memorabile est etiam eos editores antiquos, quibus copia fuit alios libros, quam qui nobis reliqui sunt, inspiciendi, et constanter *quin* retinuisse et indicativum *proposuit* (pugnaeque proposuit) exhibuisse, atque ed. principem, quae eo loco vacat verbo, *proponens* ante *iratus* positum praebere; quae res nonnihil valet tum ad formam verbi vulgo receptam tum ad ipsum illud verbum suspectum faciendum. Augetur vero ea suspicio, ubi legimus *signumque simul itineris pugnaeque proposuit:* proponebatur enim pugnae signum (scilicet vexillum rubrum), signum itineris tuba dabatur. Ad posterius igitur convenit illud verbum, ad prius non item. Neque vero facile statim vexillum ut pugnae signum proponi potuit aut debuit hostibus procul etiamtum vastationem caedibus incendiisque ostendentibus. Ceterum non sine causa accidit, ut in cdd. vetustissimis id verbum periret, atque ut in ed. 1. alia forma alieno loco scriberetur. Ubi habet Hirtius b. G. 8, 15 *signo pronuntiato,* hunc rarum esse loquendi modum adnotant commentatores ac pro signo voce dato usurpatum. Sic eandem locutionem etiam apud Livium hominibus litterate peritis raram et notabilem visam esse suspicor, atque ob eam causam, si hic *signum itineris pugnaeque pronuntians* scriptum invenerint, alibi autem in narratione *signum proposuit* legerint (velut 7, 32, 5. 9, 14, 2; 23, 7. 10, 40, 5. 6, 12, 7. 22, 45, 5), hoc, utpote quod vulgare esset, eos substituisse. Fit autem, ut verbo adposito id, quod ante erat, proteratur, quid? quod ut altero alterum exculcante utrumque pereat. Illud hic in editionibus, hoc in codicibus usu venisse videtur. Est apud Livium et *iter pronuntiare* (2, 59, 6. 30, 10, 2) et *proelium pronuntiare* (24, 14, 10), ubi plerumque de tem-

pore additur *in insequentem diem,* itaque etiam signum simul itineris pugnaeque pronuntiasse consulem facile scripserit, id scilicet iubentem, ut ad iter, si non illico, at paulo post ingrediendum pugnamque brevi instantem omnes parati essent. Cf. 27, 43, 11. Nam subito eo ipso die signa in hostes absentes inferri iussisse eum vix credendum. Etiam magis absurde iam vulgo sic scribitur: signum itineris pugnaeque cum proposuisset (dedisset), Immo Arretii ante moenia sedeamus, inquit, hic enim cet. Nam isto modo definite hoc dicitur, consulis illud dictum sive responsum tum demum secutum esse, cum signum pugnae proposuisset, nec liquet, quo sermo, qui sic ordiatur, sit referendus; id tantum mire narratur, iussam a consule profectionem signumque pugnae propositum secutam esse quandam quasi exhortationem ipsius illudentis, ut Arretii manerent.

Denique usus participii, *pronuntians* inquam, cuius admonet ed. 1, id efficit, ut nec abrupta prorsus narratione nec cum enuntiato proxime antecedente inepte facta copulatione referatur, quid responderit consul ad salutares hortationes eorum, qui consilio interfuerunt, continuationi sermonis (ut notavi) medias interpositas.

Itaque sic exponendum: Flaminius, dum tribunis militum centurionibusque prudenter suadentibus contumeliose et aspere respondet, iter simul proeliumque pronuntiat, quod quidem imperium ad exercitum erat perferendum.

3, 13 *vetent* a Carbachio primo restitutum per Ald. usque ad Hertzium aliosque recentiores propagatum est. Quod hi ex codicibus dederunt, *vetant,* ob eam causam minus probabile est, quod Flaminium animo nimis fidenti nuntium adloquentem facit, quasi is de signo narrans de litteris illis priore consulatu acceptis statim cogitet. Scribam aliquem, cui indicativi illa forma usitatior et tritior fuerit, coniunctivum, qui aliam coniugationem redoleret, removisse opinor.

Ib. *obtorpuerint* C. 1. 3. rell. ante Als., post Wln, Rmn, Mlr. *obtorpuerit* PM Als. FH, Wbn, Hz, Tkg. *obtorpuerunt* Mvg. Qui indicativus in oratione obliqua non est tolerabilis: abiret enim nuntius ille, nuntiaret, effoderent signum, si ad convellendum manus obtorpuissent. Si convellere non potuissent, effoderent:

cogitatur de pluribus signum manu loco movere conantibus, adeo de plurium manibus. Qui singularem probant, abstracte dictum putant de vi manuum.

4, 2 *adsurgunt (ass.)* 1. 3. rell. ante Als., item FH, Tkg. *adinsurgunt* PCM Als. Wbn 1, Hz. *insurgunt* Mvg, Wfl. Wbn 6, Rmn, Mlr.

Si librarii duplicem lectionem, alteram in contextu, alteram vel supra versum vel in margine invenerant, melioris ac verioris incerti vel potius incuriosi prorsus atque ignari, utramque admittebant, quasi ut legentium arbitrio rem permitterent. Qua in dittographia quem ordinem sequi soliti sint, scire refert. In praesens de ambigua praepositione quaeritur. Praebet Liv. lib. I haec exempla: 30, 6 circuminspicere, 40, 5 ex a pastoribus, 41, 5 inconspectum, 57, 7 nec inopinato; quibus locis scriptum oportuit: circumspicere, ex pastoribus, inspectum, necopinato. Postponi solitum esse spurium etiam aliis exemplis docetur, ut 9, 27, 14 pereffugerunt. Itaque ubi legimus *colles adinsurgunt,* iam per se verisimile est *adsurgunt* praeoptandum (nam alteram utram praepositionem detrudendam esse iam nemo negaverit). Multo magis id nobis persuadetur, si usum utriusque verbi respicimus. Nam dum *insurgere* de situ locorum rarissimum est, et quidem de iis usurpatur, quae praealta sunt (v. c. Verg. Aen. 8, 234 silex speluncae dorso insurgens, Tac. Ann. 2, 16 insurgebat silva), *adsurgere* (item *surgere*) in regionum descriptione quasi artis vocabulum est: Tac. Ann. 13, 38 colles clementer adsurgentes. Curt. 3, 10, 6 iugum montis a mari adsurgit. Plin. N. H. 6, 56 Emodi montes adsurgunt, 2, 162 haud ignoro quosdam Alpium vertices longo tractu — adsurgere, 4, 66 Delos adsurgit Cynthio monte, 36, 80 tertia Pyramis adsurgit CCCLXIII pedibus. Verg. Aen. 4, 86 adsurgunt turres.

Nec aliter de loco glossae infra 42, 6 *vergant ad in hostem* iudicandum est, ubi tamen e contrario ante Als. scribebatur *in hostem.* Verum altera scriptio loquendi consuetudine magnopere commendatur. Habet Livius 27, 25, 11 vergentem ad mare partem urbis, 27, 26, 7 pars tumuli, quae vergeret ad hostium castra, 27, 42, 10 pars castrorum ad hostes vergebat. Aliter 37, 31, 10, ubi sermo sic continuatur: duos in utramque regionem versos

portus tutissimos habet. Qui in meridiem vergit ctt. Tamen 5, 33, 9 in utrumque mare vergentes terras. Nonnumquam (27, 26, 7) edd. quidam *in* pro *ad* substituerunt, quare, ubi in P deest utrumque, non satis certum est 28, 1, 3 in orientem vergit. Apud reliquos rerum scriptores constans est usus loquendi *vergere ad,* velut ad mare, ad flumen, ad orientem, ad septentriones. Sic saepe Caesar et Curtius. Nep. Cim. 2, 5 ad meridiem vergit. Sall. Hist. 4, 19 Italia ad Siciliam vergens. Etiam Virg. G. 2, 298 Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem. Item de tempore Liv. 44, 36 hora diei iam ad meridiem vergebat, Curt. 4, 31, 22 nox vergit ad lucem. E quibus exemplis colligitur etiam Liv. 22, 42, 6 ita iunctam duplicem praepositionem, ut vera prior poneretur. Quae quidem animadversio interdum adiuvat aliquid ad similia menda tollenda. Cuius rei exemplo est Suet. Caes. 86 custodias Hispanorum cum gladiis *adinspectantium* se removisse. Quam corruptam lectionem optimorum codicum servat C. L. Roth; alii inspectantium vel insectantium vel sectantium. Scribendum vero *adspectantium,* i. e. oculis contentis prosequentium. Dicitur enim id de inferioribus, ut iussa principis adspectare.

4, 4 *despectae* scripsi. *deceptae* PM Mvg. *decoepte* C. *decepere* e coni. Lipsii Gron. Crev. Drak. SD, Rup. Bkr, Als. FH, Wbn, Hz, Tkg, Rmn. *haut dispectae* Wln, Mlr. *detectae* edd. ante Gron.

Postquam Puteanei codicis verba perdendi morem diligentius investigavi, quid sibi vellet hic *deceptae,* intellexi: quo in libro quae communis sit transpositio litterarum, infra ad 55, 8 *certe* ostendam, hic tantummodo de litteris *p e c* in *c e p* et similia mutatis aut contra. 30, 18, 9 *excepisset* in *expetisset* vertit, 28, 6, 12 *suscepta* in *suspecta,* e contrario 21, 53, 3 *exspectari* in *exceptari,* 23, 17, 10 *suspecti* in *suscepti,* ac plane eodem modo hoc, de quo nunc quaerimus, *despectae* in *deceptae* abiit. Ut de copiis et paucitate militum despecta interdum mentio fit, sic despectae insidiae dicuntur a Flaminio, cum id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspiceret: hos dispexit, reliquos despexit.

5, 1 *ac pugnare* P Als. sqq. *et pugnare* edd. ante Als., item FH. Cf. 22, 60, 25 in acie stare ac pugnare decuerat,

1, 52, 4 capita nominis Latini stare ac sentire cum rege videbant.

5, 3 *ordines et locum noscerent* Hz, Mvg, Wbn 6, Wln. *ordinem sed locum nosceret* PCM. *ordinem et locum nosceret* 1. 3. Al. *ordinem et locum nosceret miles* Mog. Ald. cett. ante Als. *ordinem miles et locum nosceret* Als. FH, Wbn 1. qui caesuram enuntiati quaesiverunt. Cogitari possunt hi gradus mutationis: ordines et, ordine set, ordine sed, ordinem sed; potuitque ex falsa singulari verbi forma pro subiecto *miles* gigni.

5, 3 *iis* P Mvg 2, Rmn, Mlr. *his* 1. 3. edd. rell. omnes. Non notaverat Als. in P non nisi m. 2. esse *his.*

5, 4 *vulnerum* P edd. ante Mvg 2, post Wbn, Wln, Tkg. *vulneratorum* Mvg 2, Rmn, Mlr. *gemitus vulnerum,* i. e. lamentatio ac deploratio vulnerum, vehemens dolor vulnerum acceptorum voce expressus. Ut omnino in lingua Latina, sic etiam apud Livium late patet usus genitivi obiectivi, quo multis modis significatur id, ad quod vel animi motus vel actio aliqua dirigitur. 2, 10, 8 alacritas perfecti operis (Jubel über etc.). 1, 40, 4 dolor iniuriae (cf. Cic. Att. 9, 9, 1. Sall. Cat. 28, 4). 8, 13, 2 dolor agri adempti. 2, 6, 1 dolor tantae ad inritum cadentis spei (cf. Nep. Att, 4, 5). Ira vulnerum 8, 29, 13, quaestionum 4, 50, 7, fugae 27, 7, 13, praedae amissae 1, 5, 3, dictatoris creati 4, 57, 9, corruptae uxoris 5, 33, 3, agri amissi 8, 12, 5, diremptae pacis 9, 8, 12, finitae potestatis 9, 34, 9, interfecti domini 21, 2, 6, interfectae stationis 24, 30, 1, provinciae ereptae 37, 51, 6. Ut ipsa verba accusativum regunt, sic substantiva verbalia cum genitivo obiecti iunguntur: expugnatio urbis, ignoratio locorum (ut expugnare urbem, ignorare locum). Ut icere corpus, bracchium, murum, sic hoc ipso loco ictus corporum, ictus armorum, 38, 5, 3 ad ictus moenium cum terribili sonitu editos. Cic. post red. in sen. quo minus occulte vestrum malum gemeretis, Verg. Aen. 1, 221 nunc Amyci casum gemit et crudelia secum fata Lyci fortemque Gyan cet. Itaque etiam gemitus fatorum, gemitus vulnerum recte dicitur. Amm. 29, 5, 12 inter gemitus mortis et vulnerum audiebantur barbarorum ululabiles fletus captorum et caesorum (i. e. inter conquestionem mortis instantis et vulnerum acceptorum, sive de morte et vulneribus). Aliter igitur cogitatur

gemitus mortis et vulnerum, aliter gemitus morientium et vulneratorum. Nihilo secius Madvig coniecturam intulit *gemitus vulneratorum* Wesenbergii auctoritate nisus; quasi vero id non sufficiat, in ed. 3. alterum addit auctorem Rupertium; qui tamen nihil aliud fecit quam in scholiis ita exposuit: *„gemitus vulnerum,* ob vulnera, vel vulneratorum (nisi ita leg.), vel potius: ad sonum vel ictuum vel telorum vulnera infligentium".

Fruuntur, ut ita dicam, haec substantiva iure obiecti verborum, quibus respondent. Est vero idem genitivus etiam in aliis memorabilis, quae aut ad verba pertinent, quorum obiecta quasi remotiora sunt, quam quae proxime a verbis regantur, aut suo ac proprio verbo destituta. 4, 6, 11 contentio libertatis dignitatisque (de libertate, ob eam), 1, 13, 1 quarum iniuria (i. e. quibus inlata), cf. Sall. Cat. 52, 6 sociorum iniuriae. 43, 1, 2 ut opinione clementiae eos adliceret, 45, 38, 6 ne invidiae et ingrati animi opinionem habeat, cf. Caes. b. G. 7, 59, 5 maximam habet opinionem virtutis, Cic. Off. 2, 11, 39 opinio iustitiae, Tusc. 1, 11, 23 quaestio animorum, Sest. 33, 72 dissensio reipublicae, Arch. 10, 23 periculorum incitamentum et laborum, Lael. 11, 37 excusatio peccati.

5, 8 *conglobat* PCM Gron. Crev. Drak. SD. Als. FH, Wbn 1, Hz, Tkg. *conglobabat* edd. ante Gron. Mvg, Wbn 6, Wln, Rmn, Mlr. In adfirmatione Madvigii acquiescunt, qui in ed. 1. his verbis rem transigit: „Apparet *ba* semel scriptum esse, cum bis deberet." Magis e re erat de vario usu praesentis et imperfecti loqui. *Fors conglobat* momento temporis, *suus cuique animus pugnandi ordinem dabat* non tam id, quod in vestigio temporis factum est, indicat, quam ad sequentem ordinem pugnae describendum pertinet. Cf. 1, 25, 4 Horror ingens spectantes perstringit, et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque.

Ib. *adeo intentus pugnae animus,* „die Aufmerksamkeit so ganz auf die Schlacht gespannt", Heusinger. „Vix dubium videtur, quin *animus* a mala manu sit", Madvig an. 1872. At cf. Wbn.

6, 5 *super alium alii* cdd. edd. *super alios alii* Mlr. In confertissima turba eorum, qui per omnia arta praeruptaque evadere contendebant, quotiens unus aliquis prolapsus erat, aliorum

ruinam secum trahebat, ubi etiam arma proiecta impedimento fuerunt fugientibus. Si de singulis primum labentibus cogitatur, id quidem singulariter eloqui convenit, etiamsi continuo sequatur *alii praecipitantur,* ubi, praesertim cum praecedat pluralis *viri,* singularis minime aptus erat. Nullus alius locus huic plane similis est, quem ad ceterorum normam duriter adigere certe non licet. Magna in hac et similibus locutionibus ubivis conspicitur varietas. 26, 41, 8 ut aliud super aliud cumularetur funus, 27, 40, 4 cum alia super aliam clades ducibus amissis exercitus delesset; at 26, 41, 17 cum aliae super alias clades cumularentur. 39, 49, 7 ut super alium alius idem omnes adfirmantes veniebant, 33, 8, 1 cum alii super alios recurrentes ex proelio clamarent. 30, 25, 9 alio super aliud scelere induciae ruptae, 6, 10, 8 tot super alia aliis bellis exhauriri nequisse. Cf. 8, 23, 17 dilatis alia atque alia de causa comitiis, 28, 35, 1 res aliis atque aliis de causis dilata erat, 7, 39, 7 quos consul aliis atque aliis causis mittebat. Sall. Iug. 72, 2 alio atque alio loco requiescere, 36, 2 alias, deinde alias morae causas facere.

In tali re atque in tanta libertate videtur hoc loco, ut adhuc usque, sic posthac *super alium alii* ferri posse; nam si, ut vult Mueller (Zeits. f. d. G. W. 1882, p. 296), scriptum esset ab initio *super alios alii,* non verisimile est futurum fuisse, ut *alios* in *alium* mutaretur, idque ita, ut primum *super alius* scriberetur. Enumerat locos undeviginti, in quibus sola pluralia sunt, addere poterat hos: 26, 4, 7. 26, 41, 17. 42, 25, 8. Quinque locis adlatis singularia *alius super alium* invenit; ab iis autem se discessisse ait, ubi numerus singularis necessarius sit: hos igitur intellegit: 1, 25, 5. 22, 19, 8. 26, 41, 8. 27, 40, 4.

6, 6 *humeris* cdd. Als. Wbn 1, Hz. (*umeribus* P scr. pr.). *humerisque* edd. ante Als., post FH, Mvg, Rmn. *humerisve* Wln, Wbn 6, Tkg, Mlr.

Vix dici poterant capitibus *humerisve* (vel humeris) exstare, siquidem exstantibus ex aqua humeris exstabat necessario caput. Suspiciosa est addita copula, cum tot tamque certa exempla sint bimembris dissoluti tum in nominibus vel substantivis vel adiectivis tum in verbis et adverbiis ac totis enuntiationibus. Ecce enim substantiva: 3, 68, 4 re fortuna, 4, 3, 12 ingenio virtute,

9, 25, 5 iuventute armis, 10, 4, 2 arma tela, 21, 10, 9 dii homines, 21, 28, 2 nautarum militum, 21, 38, 9 Seduni Veragri, 21, 46, 4 hominum equorum, 22, 13, 1 indignitatibus cladibus, 22, 29, 11 arma dexterae, 22, 61, 3 fletibus questibus, 23, 24, 9 arma viri, 24, 1, 3 muros portas, 24, 1, 5 agros urbem, 27, 9, 2 dilectibus stipendiis, 28, 13, 5 civium sociorum, 32, 3, 5 labore opere, 33, 38, 12 tecta muros, 34, 35, 7 liberos coniuges (cf. 45, 1, 10), 35, 35, 16 animos dextras, 36, 18, 1 arma tela (cf. 30, 11, 4), 37, 25, 6 Philippum Nabim, 42, 30, 11 arma milites, 44, 22, 8 terra mari, 45, 1, 3 clamor plausus, 45, 8, 5 regum populorum. Quae nomina interdum aptius inciso separantur. Cf. Epileg. ad 21, 28, 2, item infra 9, 5 et 18, 10.

6, 12 *coniecit* PC Gron. Crev. Drak. SD, Rup. Bkr, Als. FH, Wbn 1, Hz, Tkg. *coniecti* edd. ante Gron. Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr.

atque in vincula omnes coniecit (ubi praecedit *servata fides ab H. est*) gradationem quandam continet, quemadmodum transitu ab activo in passivum, vel contra, haud raro magis separantur binae actiones. Locus huic similis est 1, 4, 3 sacerdos vincta (sc. a rege) in custodiam datur; pueros in profluentem aquam mitti iubet (rex). 2, 2, 1 Rerum deinde divinarum habita cura; et — — regem sacrificulum creant. 10, 21, 6 Itaque et supplicationes — decernunt; iustitium remittitur. Madvig, qui in ed. 1. *coniecit* scripserat, hoc deinde errore factum esse declarat nec alio argumento utitur quam quod contra codd. Drak. testes adlegat edd. vett. Crev. Tamen Crevier *coniecit* habet, ad quod hoc tantum adnotavit: „Nec peius erat *coniecti*." Ac certissimum quidem est, si *coniecti* esset in cdd., id omnes libenter accepturos fuisse.

7, 3 *ex vulneribus* scribendum monuerunt Perizonius, Crev. Stroth. *utrimque ex vulneribus* cdd., edd. pleraeque. *[utrimque] ex vuln.* Mvg, Wln, Wbn 6, Mlr. *utrimque,* ut ex versu sequenti ortum, suo iure eliminatum voluerunt. Posteaquam narravit Livius Romanorum quindecim milia in acie caesa esse, decem milia fuga Romam petiisse, mortifero vulnere ictos silentio praeteriit, ut qui cito ab hostibus victoribus caesi essent, Poenorum ait in acie periisse duo milia quingentos, adeo sextam partem illius

numeri. Ubi igitur sexiens tantum Romanorum in acie cecidisse narratum est, quasi ad rationem imparem aliquo modo minuendam hoc continuo addit de Poenis: *multi postea ex vulneribus periere.* Si comparatione facta perparvus numerus hostium in acie ipsa ceciderat, tamen monendum erat etiam ex vulneribus propediem multos eorum periisse, atque ita Romanos non tam inultos cecidisse, quam ex numero hostium in acie caesorum concludi posset.

7, 4 *haustum* cdd. edd. ante Bekkerum omnes et post pleraeque. *auctum* e coni. Walchii Bkr, Mvg, Rmn, Mlr. Declarat Livius cum omnino se nihil sua sponte confingere et comminisci velle, quo nimis inclinaret Valerius Antias, quem 30, 19, 11 impudenter finxisse criminatur, tum in hac re Q. Fabium se potissimum auctorem habere. Commemorat Madvig nunc in PC repertum esse *austum* (non haustum) coniecturamque *auctum* veram esse contendit; num recte dicatur *ex vano haurire,* in dubium vocat, de altero illo, *ex vano augere,* haudquaquam dubitare videtur. Quod ad aspirationem neglectam attinet, monendum est eam a librariis ut lubet vel addi vel demi ante vocalem. Qui multiplicem utrimque caedem ad Trasumennum factam traderent, eos ex vano hausisse insimulat Livius, cum a numero, quem Fabius indicavisset, tantopere aberrarent.

7, 10 *distracti* correctio est Woelfflinii. *dispraeti* P, in quo haud scio an in littera *e* rotundiore forma unciali scripta immutationis vestigium conspicuum sit. *dispartiti* 1. 3. Al. Sob. *dispertiti* Asc. Mog. Ald. Frob. sqq. Potuit quidem ex duplici scriptura *par* et *per* exsistere *prae* atque alterum *ti* excidere, sed *distracti* per se aptius est.

8, 3 *in valido* auctoribus Drak. et Doeringio Mvg, Wbn, Wln, alii. *in* abest a cdd., item ab edd. ante Mvg 2. *valido* P m. 1, *valitudo* m. 2. Post *m* saepius *in* omitti ostendi De mendis codicum Caesaris p. 10. Haud aliter apud Livium, v. c. 21, 48, 4 *iam loca* cdd. (iam in loca). Exemplis probare voluit Fabri *in* post *quam* repetere non opus esse; nonnullis tamen eorum locorum, quos adfert, *in* est in quibusdam cdd.

8, 4 *inciderit* P edd. ante Mvg., post autem Wln, Tkg. *incideret* coni. Mvg, Wbn 6, Rmn, Mlr. Agitur de eo, quod praesenti tempore revera factum est. Hoc enim dicitur in compara-

tione: ita tum ex viribus extenuatis aestimandum esse credunt quidquid miseri acciderit. Si quid modo poneretur, *incidisset* scribi oportuit.

8, 6 *nec dictatorem populo creare poterat* P inserit ante *quod numquam* (*populus* P m. 2. ceterique cdd. atque edd.). Quoddam quasi interpretamentum, nisi fallor, hoc fuit, idque parum subtile, olim margini adscriptum ad ea, quae praecedunt, quibus hoc narratur, civitati dictatoris desiderium fuisse. consulem autem absentia sua interclusisque itineribus impeditum fuisse, quominus dictatorem diceret. Deinde vero illud glossema orationi Livianae ineleganter immixtum est (in hunc scilicet modum: et consul aberat, nec facile erat nuntium mitti, nec dictatorem populo creare poterat), quemadmodum saepe inepta additamenta cum magna sollicitudine interpretum in ordinem recepta sunt, cuius generis infra 24, 10 hoc est: *pars exercitus aberat iam fame,* quae insulsa fuisse videtur explicatio enuntiati illius *tanta paucitate vix castra tutari poterat* Hannibal, qui tertiam partem militum frumentatum dimiserat. Credidit enim glossematis auctor Poenorum exercitum tunc ipsum fame laborasse, eamque causam fuisse paucitatis. Priori autem loco ad illud inserendum, quod interpretamenti effigiem repraesentat, aliquid momenti forsitan habuerint minus intellecta quae sunt c. 31 *a populo creatum dictatorem.* Inde sumptum putat Mommsen, qui accessionem istam inconcinnam eiecit (Corp. Inscr. Lat. I, p. 288), eamque Mueller uncis inclusit. Plures alteram illam, quae est c. 24, 10, removerunt.

Quod volunt Wbn et Wln, *nec dictatorem praetor creare poterat,* nec cum cdd. convenit nec addi omnino potuit postquam ab consule uno dictatorem dici potuisse narratum est. Cf. Mommsen, Röm. Staatsr. II, 1 p. 131: „Hat diese Diktatoren kein Konsul ernannt, so kann es nur durch den Prätor geschehen sein; wofür auch die analoge Bestimmung Liv. 27, 5, 16 spricht." Madvigii denique recentiorem coniecturam, *nec dictatorem populo non consulto senatus creare poterat,* refutavit Harant.

8, 7 *iisque* P, quod non viderat Als., ob eamque causam *hisque* tenent edd.

9, 2 *haud nimis prospere* edd. omnes ante Mvg, post eum

Tkg, Mlr. *haud minue prospere* PC. *haud minus prospere* M. *haud maximae minime prospere* Mvg, Rmn. *haut [minus] prospere* Wln. *haud [minime] prospere* Wbn 6.

Ut omnino litterarum inversio in P satis frequens est, qua de re infra ad 55, 8 plura adferam, sic et ibi et in aliis cdd. *nimis* et *minis* et *minus* inter se permutantur, velut 22, 28, 9 *nimis* pro *minis* est, 26, 21, 3 pro *minus.* Plura refert exempla Drakenborch ad Liv. 36, 9, 7, in quibus locum huic simillimum 8, 4, 5 Est quidem nobis hoc per se haud nimis amplum (ubi pari modo PU aliique *haud minus* praebent). Ut eo loco *haud nimis amplum* est minime amplum, sic hoc *haud nimis prospere* est minime prospere. Inique igitur haec locutio „acerba et prope scurrilis irrisio parum Livii narrationi apta" appellatur a Madvigio (Em. Liv. p. 289), cuius importunum est emendandi conamen. Facile unius litterae mutatione in P, ex eo, quod olim scriptum fuerat, *minus* factum est *minue.*

9, 5 *Hadrianum* PC Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg. *Adrianum* 1. 3. Asc. Al. Sob. *Hadrianumque* (vel *Adr.*) Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. Mvg, Rmn, Mlr.

Ad nomina substantiva dissolute posita, quae ad c. 6, 6 adlata sunt, haec addenda exempla adiectivorum et participiorum: 7, 36, 7 singulos universos, 22, 10, 6 solutus liber, 22, 22, 19 graves superbos, 22, 60, 20 fortia fidelia, 23, 11, 10 fusum fugatum (idem 33, 25, 9 et 40, 48, 6, cf. 38, 53, 2. 28, 28, 9), 28, 14, 7 curati pransi, 45, 36, 4 horridiorem asperiorem, 45, 39, 6 nobilissimus opulentissimus.

9, 10 *Erycinae* P scr. corr. *robycinae* P scr. pr. *ericine* C. Cf. 22, 10, 10 *erucinae* P, *ericine* C. 23, 30, 12 *erycine* P. 23, 31, 9 *aerucinae* P, *erycinae* C. 30, 38, 10 (P deficit) *erucinae* C, *ericine* vel *erycine* reliqui. *Venus Erycina* (Ἐρυκίνη, ab Eryce, Siciliae monte) constans est scriptio et editionum Livii veterum et apud alios scriptores, v. c. Cic. Verr. accus. 1, 10 et 2, 8, Hor. Carm. 1, 2, 33, Ov. Met. 5, 363, Suet. Claud. 25; cumque P utrique lectioni aeque faveat, non satis causae fuisse videtur, cur *Erucina* scribere inciperent Als., Hz, Wbn, Wln.

10, 2 *sicut velim eam, salva servata erit* Mog. Sob. Frob. Grut. Gron. Crev. Drak. SD, Bkr, FH. (i. e. sicut velim eam sal-

vam servatam). *sic velim eamque salvam servaverit* cdd. *sicut velim, eam salvam servaverit* 1. 3. Asc. Al. *sicut velim eam, salvata serva erit* Ald. (et simia Juntina). „Mihi vulgatum nondum displicet", Drak. „Emendandi rationes, cum vanae sint, non commemorabo", Stroth. Quod hodie etiam dicere posse mihi videor.

10, 6 *Si antidea senatus* cet., i. e. Si senatus populusque iusserit immolari ante quam immolatum erit, vel, quod idem valet, si quis post tempus a senatu populoque statutum sacrificaverit, velut si anno tardius, quam debuerat, sacrificium fecerit (fortasse ex fetu posterioris anni, non veris sacri), id ne populo scelus esto, sed solis sero immolantibus. Est ea fere codicum scriptura atque editionum ante Madvigium. Is *ac* loco motum post *antidea* posuit in ed. 1. interpretem quendam Danum, Er. Moellerum, adferens, in edd. 2. 3. eo relicto ad Strothium solum auctorem relegans legentes, qui ad hunc locum haec tantum adnotaverat: „Sententia melius superioribus responderet, si transposita particula *ac* legeretur: Si antidea ac senatus pop. iuss. fieri, faxit." Quam vero ob causam magis cavendum esset, ne quis maturaret sacrificium facere, quam ne quis cunctaretur, non docuit, nec quisquam ante Madvigium eius coniecturam recepit, post hunc vero omnes excepto Tueckingio, quasi res esset certissima.

11, 1 *deque re publica* cod. Harl. et alii, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr. *reque de publica* P aliique, Gron. Drak. SD, Als. FH, Wbn 1. *reque publica* C 1. 3. Al. Mog. Sob. Grut. Mvg. Quae tam firma est ab codicibus praepositio non facile tollitur. *deque re* et *reque de* confundere in promptu fuit. Invenitur quidem saepius apud Livium *resque publica,* sed num intermedia simul copula et praepositione illa vox dividatur, dubium est. Etiam ea substantiva et adiectiva, quae non unam notionem efficiunt, rarissime isto modo seiunguntur. 9, 37, 11 metuque in magno, 9, 43, 15 aciemque per mediam. At haud pauci sunt loci, ubi post *de* sequitur *deque,* v. c. de re publica deque provinciis senatum consulere (31, 5, 4. 38, 35, 7). Itaque ea formula certior est ac probabilior. — Ib. *quotve* edd. ab omni tempore. *quotque* Mvg cod. unum rec. proferens („Ber. a manu 2." Drak.). *quoduellegionibus* P.

11, 4 *ut ii* monente Gron. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg. *ut hi* Gron. Crev. *uti* PCM Al. Drak. SD, Als., Mvg, Rmn, Mlr. *ut* 1. 3. Asc. Omiserunt Mog. Ald. Sob. Frob. Grut. (at iidem aliique paulo post *uti demigrarent*). Repetitur a Livio ex abundanti particula *ut* post quaedam interposita: 3, 64, 10. 5, 21, 15. 8, 6, 14. 23, 7, 6. 28, 9, 10. 34, 3, 4; 56, 12. 36, 1, 6; 3, 13. 37, 50, 6. 38, 38, 18. 39, 19, 4. 41, 9, 11. 42, 21, 5; 28, 7. 45, 16, 7. Ubi praecedente enuntiato relativo sequitur demonstrativum, *ut* duplicatum ad hoc accedit his locis iam adlatis: 3, 64, 10. 34, 3, 4. 36, 3, 13. 38, 38, 18. 42, 28, 7. Non iterato *ut* eo, qui adest, loco scribi oportuit: *Edicto proposito, ut, quibus oppida ... immunita essent, ii commigrarent in loca tuta,* quemadmodum pari ratione, ut unum denuo promam exemplum, 36, 3, 13 *edixit, ut, quos milites conscripsisset — —, ii omnes Brundisium convenirent;* attamen posteriore loco non sic scriptum est, sed *ut* repetito *ut ii omnes convenirent,* atque ad eandem normam priore illo *ut ii commigrarent* scribendum. Vulgatissimo errore in cdd. *i* obvium est, ubi *ii* esse oportebat, velut infra 12, 8 *necessari.*

12, 4 *Martios* 3. Asc. rell. ante Drak. (sc. Martios animos Romanorum). *quos Martios* PCM 1. Als. *illos Martios* auctore Hauptio Wbn 1 ap. Teubn., Tkg, Mlr. *antiquos Martios* auctore Jenickio Rmn. *[quos] Martios* Hz, Mvg, Wln, Wbn 6. Alii *quoque, suos, quondam, aliquando, quamvis* coniecerunt. Appellantur Romani 38, 17, 18 Martii viri, 10, 17, 9 gens Martia. Martiorum autem virorum erant Martii animi. Eodem sensu 22, 25, 10 antiquus animus plebei Romanae. Ad *Martios* animos suspicor *antiquos* variandi causa adscriptum fuisse, deinde ex parte evanuisse. Martigenarum animos *Martios* eosdem *antiquos* fuisse non opus erat addere. Glossas qui scripserunt, talia addebant. Nulla denique causa fuisset *illos,* si semel scriptum esset, in *quos* mutandi.

12, 5 *Flaminio Sempronioque simili* cdd. *(simile P),* edd. ante Mvg. *Flaminii Semproniique simili* Mvg, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr.

Madvig, qui mutatione facta in ed. 1. hoc tantum adnotaverat: „P *Flaminissempronioque",* in Em. Liv. ed. 2. p. 292 haec addidit: „ex eo, quod in P scribitur: *Flaminis Sempronioque,* fit

duce haudquaquam Flaminii Semproniique simili". Nisi fallacia ex apertissima scriptura *Sempronio* non fit *Sempronii*. Ex Alschefskii collatione rectum cognosci poterat. Dixerat ille quidem scriptum esse in P m. 1. *flaminissempronioque*, seque, cum *s* ex eadem sequenti littera profectum esse posset, vix dubitaturum fuisse, quin *flamini* a Livio scriptum esset, „nisi iam m. 1. *flaminio* restituisset nec *sempronioque* sequeretur". Ac recte retulit *flaminio* esse scriptionem m. 1. restitutam, quod et ego vidi et nuperrime C. Wahlund. Inducto enim *s* quod supra scriptum est *o* forma usitata prodit ipsum librarium, atque ut superior pars quattuor litterarum proxime praecedentium colore iam est evanido, sic etiam illud *o*. Adeo *flaminio* cum huius codicis vera est lectio, tum reliquorum, quotquot noti sunt.

Docebant grammatici veteres adiectiva similitudinis dativum regere, cum ad speciem figuramque, genitivum, cum ad mores ingeniumque referrentur, sed sive Ciceronem consulimus sive Livium, praeceptum illud valde infractum invenimus: ut enim de formae similitudine genitivus quoque in usu est apud Ciceronem (N. d. 1, 27 fin. deos hominum similes putaremus, ib. 1, 32 maluit Epicurus deos hominum similes dicere quam homines deorum, Pis. 38 statuam istius persimilem deturbant), sic vicissim de similitudine morum a Livio dativus saepe usurpatur: cuius rei in Epileg. ad lib. I, p. 18 exempla attuli 1, 22, 2. 3, 65, 9. 4, 3, 16; 9, 8. 5, 28, 3 et 4; 36, 1. Quibus addenda haec sunt: 1, 47, 5 fratri similior quam patri, 7, 14, 2 quae (multitudo) ferme auctoribus similis esset, 9, 18, 3 Qui (Alexander) si ex habitu novae fortunae novique ingenii spectetur, Dareo magis similis quam Alexandro in Italiam venisset, 39, 15, 9 simillimi feminis mares, 44, 4, 9 hostem similem antiquis Macedonum regibus. Commodior quidem hic et alias nonnumquam (v. c. 4, 3, 17) dativus fuit, ubi series praesertim genitivorum molestiorem habuisset sonum, tamen ne sic quidem is casus admissus esset, nisi cum usu communi conveniret. Itaque non satisfaciunt, quae dat Woelfflin Livian. Krit. p. 15: In Vergleichung von Personen steht der Dativ, wo von einer äufseren Ähnlichkeit die Rede ist; bei innerer Ähnlichkeit überwiegt nur der Genitiv, findet sich allein gebraucht bei den Pronomina mei, tui, sui cet. Constat in pro-

nominibus personalibus solum et unum esse usum genitivi, in rerum similitudine, si excipiatur simile *veri* ctt., proprium usum dativi; sed neque de pronominibus neque de rebus comparandis hoc loco agitur.

13, 1 *cladibus* PCM Als. Wbn 1, Hz, Tkg. *cladibusque* 1. 3. rell. ante Als. *ac cladibus* Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. Vide supra ad 6, 6.

13, 4 *ut etiam atque etiam* cdd. edd. ante Mvg, post Wbn 6, Tkg, Mlr. *etiam atque etiam, ut* ex suspicione Gronovii Mvg. 2, 3. *[ut] etiam atque etiam* Mvg 1, Wln. *etiam atque etiam* Rmn. *etiam atque etiam promissa*, i. e. quae dubio Hannibali alternisque fidenti ac diffidenti iterum ac saepius summoque studio promiserant nuntiantes Capuae potiendae copiam fore. Non enim, ut voluit Mvg, ad promissorum rebus confirmationem pertinet repetitae actionis significatio.

13, 6 *Allifanum Calatinumque.* Sic habent et codices et omnes ante nostram aetatem editiones, nisi quod *alifanum* est in cdd. atque in edd. ante Gron. Tamen plerumque scriptum invenitur *Allifae* et *Allifanus*, ut 26, 9, 2, qua de re monitum voluit Als., ubi per errorem scripsit „Cf. 26, 7. PC: allifanumque et casinatem agrum". Itaque nihil amplius addere opus esset, nisi recentes quidam editores, qui id quod est *Calatinumque* dereliquerunt, ab isto conatu repellendi essent. Quis igitur hic memoratur ager Calatinus? Duplicem Calatiam fuisse inter geographos satis constat, ob eamque causam Plinium (N. h. 3, 5, 63) *Calatiae* scripsisse putat Camillus Pellegrino, Discorsi della Campania Felice, Neap. 1771, T. I, p. 426. Alteram Calatiam Samnii vel Samnitium appellaverim, alteram Campaniae. Illius situm sic definiunt: „Elle est située près de la rivière de Vulturne entre Capouë, Telese et Calvi", L. Moréri, Le grand dictionnaire historique, Basileae 1733, s. v. Cajazzo. Testatur Pellegrino l. l. p. 366 neminem iam dubitare quin sit „che hora sia Cajazzo, ch' è di la del Volturno (loquitur enim Neapolitanus) et quasi per otto miglia di Capua antica più settentrionale"; idemque II, p. 221: „collocata ne' monti, che divisero il Sannio dalla Campania Felice". „*Calatia*, a city of Samnium, in the valley of the Vulturnus, the site of which is retained by the modern Ca-

iazzo, a small town on a hill, about a mile N. of that river, and 10 miles NE. of Capua", W. Smith, Dictionary of Greek and Roman Geography, Londini 1870. „Beynahe 3 geographische Meilen östlich von Cales liegt im Gebirge die heutige kleine Stadt Cajasso, welche ohne Zweifel Livius durch die Angabe bezeichnet, Hannibal sey von Alife aus durch den calenischen und *calatinischen* Bezirk in die Ebenen Campaniens vorgedrungen", Mannert, Geographie von Italien I, p. 774. In Tab. Peut. per errorem *Gahatie* appellatur.

Indicat evidenter Livius eundem locum 23, 14, 13 Ipse (Marcellus) a Casilino *Calatiam* petit, atque inde Volturno amni traiecto perque agrum Saticulanum Trebulanumque super Suessulam per montes Nolam pervenit. De hoc quoque loco 26, 5, 4 Adveniens (Hannibal) cum *castellum Calatiam* (scribunt *Galatiam*) praesidio vi pulso cepisset, in circumsedentes Capuam se vertit. Quibus locis, nisi fallor, adnumerandus 9, 43, 1 *Calatia* et Sora praesidiaque, quae in iis Romana erant, expugnata (a Samnitibus).

De Calatia Campaniae iam Appianus, b. civ. 3, 40, ubi de Caesare mentio fit, haec habet: *ἔπεισε Καλατίαν πρώτην, ἐπὶ δ' ἐκείνῃ Κασιλῖνον, δύο τάσδε Καπύης ἑκατέρωθεν.* (Cf. Cic. Att. 16, 8, 1. Vell. 2, 61, 1). Cuius urbis situm accuratius describit Strabo V. 9 C. 249 *κεῖται δ' ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ αὕτη τε (Καπύη) καὶ τῶν ἄλλων αἱ ἐπὶ Βρεντέσιον ἄγουσαι ἀπ' αὐτῆς Καλατία καὶ Καύδιον καὶ Βενεουεντόν* (cf. C. 283). „Die Peutingersche Tafel setzt Calatia *(Calatie)* 6 Milliarien von Capua auf der Straſse nach Benevent an; zwischen dem heutigen Caserta und Maddaloni, bey dem verfallenene Dörfchen St. Guajazzo", Mannert l. l. p. 775. „Ruins at a place still called *le Galazze,* about half way between Caserta and Maddaloni", Smith l. l.

Huius urbis simul cum Atella vicina mentio fit 22, 61, 11. 26, 16, 5; 34, 11. 27, 3, 7; praeterea 9, 2, 2; 28, 6 (mutato altero nomine), 41, 27, 10; non autem, ut nonnulli putant, 26, 5, 4; nam quo tempore Hannibal castellum Calatiam vi cepit, Calatia urbs Campaniae in potestate erat Carthaginiensium; cf. 26, 16, 5 et 22, 61, 11. Ex eo, quod Galatiam ibi vulgo scribitur, nihil colligi potest; namque pari iure ex codice P cum 23, 14, 13 tum 27, 3, 7 et 26, 34, 11 (servata littera initiali) *Galatiam* scriptum oportuit, adeo etiam Campaniae urbis nomen, quam quidem ipsam prae altera („per togliere l'ambiguità") Pellegrino Galatiam appellandam arbitratur. „Io ho per certo", inquit, „che ristrettamente ella non fu detta *Calatia,* ma in alcuno altro assai simil modo, & che per questa cagione essendo poi stato scambiato il suo nome con quello della vera Calatia, perciocchè era già rimasa estinta, essendo l'altra tuttavia in piede, anche estinta ogni notizia ne rimase", l. l. p. 373, cf. p. 422.

Non desunt, qui aliam illius nominis variandi viam monstraverint. Iamdiu tabulae geographicae Kieperti et Spruneri Calatiam Samnitium *Caiatiam* nominant, quod suadente G. Stierio (Zeits. f. die Altertumswissenschaft 1852, p. 204sqq.). Weiſsenborn in primis edd. et Hertz imitati sunt; neque negandum est talem litterarum i et l inter vocales mutationem facilem esse, cuius rei exemplo est Maiorica, Malorca. Potissimum tamen inscriptiones nummorum (qualis est MVN. CAIAT.) adferunt, quos quo iure praecipue castello illi Samnitium adscriberent, non satis comperi. Documento quidem sunt illi nummi aut Samnii aut Campaniae Calatiam aliquo tempore Caiatiam appellatam fuisse; sed cum nec quo tempore nec utra earum vel Caiatia vel Galatia vocata fuerit, nec usquam in libris manu scriptis aut Livii aut ullius omnino scriptoris Caiatiae nomen inventum sit, Galatiae autem de utroque loco, consultissimum erit usque quaque Calatiam scribere. Unum idemque nomen locorum vicinorum ne nostris quidem temporibus insolitum est.

Nuper vero criticus clarissimus id in se admisit, ut hoc, de quo disputamus, loco totum illud nomen tolleret. Haec est enim argumentatio Madvigii: „Recte intellectum est nuper, Calatinum agrum, qui ultra Vulturnum amnem ad meridiem versus situs erat, in hoc itinere Hannibalem attingere nullo modo potuisse." Calatinus ager, si de Calatia Campaniae dicitur, ultra Vulturnum ad meridiem versus situs erat, eumque Hannibalem in hoc itinere attingere non potuisse diutissime intellectum fuit. Pergit autem: „Sed quod Weissenbornius Stierii coniecturam secutus *Caiatinum* posuit, ipse sensit, etiam Caiatiam longius ad meridiem remotam esse nec itineris rationem constare." Tali modo alterius Calatiae

mentionem inchoans obscure significat illam quoque longius ad meridiem remotam fuisse, quam ut in eo itinere Hannibal eam attingere posset. Hoc tantum est in narratione Livii, Hannibalem, antequam in campum Stellatem perveniret, etiam per Calatinum agrum iter fecisse. Secundo Vulturno flumine ierat (cf. Niebuhr, Vorträge II, p. 95), sed ex agro Calatino ad Calenum dextrorsum iter flexerat, ut inde in campum Stellatem descenderet. Optime igitur constat ratio itineris. Festinat denique ad hoc, quod rem causamque continet, quodque ab initio spectasse videtur: „Aliud multo aptius nomen ipsorum codicum (PC) vestigia manifesta offerunt, in quibus est: *per alifanum allifanumque et* cet. Scripserat igitur Livius una littera *c* plus: *per Allifanum Callifanumque* aut (si cui id aptius videtur, Callifarum situm non prorsus, ut opinor, certum coniectanti): *per Callifanum Allifanumque,* eorundem oppidorum vicinorum nominibus coniunctis, quae etiam 8, 25, 4 coniunguntur.“ At vero id ipse commentus est: quod enim post *alifanum* in codicibus illis esse contendit *allifanumque* falsum est; nam et in PC et in reliquis est *calatinumque,* post quod deinceps sequitur *et calenum.* Id iam Alschefski satis docuerat, qui ad eam, quam in contextu retinuerat, lectionem *Calatinumque* nullam adnotavit discrepantiam. Ineptum quiddam sonat illud *Callifanum, Allifanum,* nec satis convenit cum sequenti narratione, ubi nulla Callifarum mentione facta eadem via, qua intraverat, rediens Hannibal in agro Allifano castra posuisse dicitur et super Allifas consedisse Fabius. Fatale fuit istud inventum Madvigii, quod cum alii tum Weissenborn et Woelfflin bona fide amplexi sunt.

14, 4 *ad rem* cdd. 1. 3. Al. Mog. Sob. Frob. Grut. Als. FH, Wbn, Wln, Tkg. *ut rem* Gron. Crev. Drak. Bkr. *ut ad rem* Mvg, Rmn, Mlr. Sequitur dissolute quaestio fortior explicativa alteri implicata, i. q. Spectatumne huc venimus? num ad rem fruendam oculis venimus? Vide infra ad 18, 10.

14, 6 *praeter quam oram illi* Gryn. Gron. Crev. Drak. SD, Bkr, FH, Hz, Mvg, Rmn. *praeterquam per oram illi suam* P. *praeterquam quod per oram illi suam* 1. 3. Asc. Al. Mog. Sob. Grut. *praeter quam nuper oram illi suam* Wbn, Wln, Tkg. *praeter quam nuper oram illi* Mlr. *praeter quam oram illi suam*

Als. Postquam facili confusione *praeter qvam* in *praeterquam* (praeterquam quod) abiit, ad ea, quae perdita erant *(praeter* et *quam)* aliquo modo compensanda nova praepositio novumque pronomen, *per* et *suam,* adficta sunt.

14, 7 *laeti* PCM 1. 3. Asc. Al. Als. Wbn, Hz, Wln, Tkg. *lenti* Mog. Ald. Sob, Gryn. Gron. Drak. Bkr, Mvg, Rmn, Mlr.

Minucius in iugo Massici montis, cum hostes sub oculis essent tecta colonorum Romanorum urentes, indignabundus Romanos insimulat laetitiam oculis capere spectando Hannibalem moenia Romanae coloniae scandentem. Quod praebuit Carbach, *lenti* languidius est, nec ad verbum spectandi aptum; laeti enim homines aliquid videre, spectare, prospectare dicuntur (cf. §§ 6 et 11), non lenti.

14, 8 *nos* cdd. edd. *nostram* Mvg. cui mutandi causa sufficiens fuit lectio unius codicis deterioris. Grata erat Livio variatio sermonis. Vid. Wbn.

14, 11 *quae* cdd. (*urbeq.* P) 1. 3. Asc. Al. Wbn, Wln, Tkg. *qua* Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. Als. FH, Hz, Mvg, Rmn, Mlr. Usque eo haec quoque nova lectio Carbachii magnum successum habuit, at vereor, ne haud merito. Non enim id potissimum memorandum erat, qua in parte urbis busta Gallica sita essent, sed multo magis esse ea, et quidem monumento esse victoriae ducis ad depugnandum promptissimi; quae busta Gallica vocarentur, memorabilia ob id ipsum facinus esse. Attractio ea usitatissima est: 2, 13, 5 Patres C. Mucio trans Tiberim agrum dono dedere, quae postea sunt Mucia prata appellata. 3, 26, 8 L. Quinctius trans Tiberim contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quattuor iugerum colebat agrum, quae prata Quinctia vocantur.

14, 15 *ducem* coni. Gron. Bkr, Rmn, Mlr. *duci* cdd. edd. rell. Cf. 9, 16, 19 eum (Papirium Cursorem) parem destinant animis magno Alexandro ducem, 37, 59, 2 si Antiochum ducem Hannibali conferres, 28, 41 4 Hamilcar Hannibali dux est praeferendus. *Fabio duci* aptius nimirum visum est corrigenti, quam *Fabio ducem.*

15, 5 *vidit Numidas* scripsi. *Numidas vidit* Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Als. Hz, Wbn, Mvg. *numidas* P rell. cdd. 1.

3. Asc. Al. *Numidas prospexit* e coni. Heraei Wln, Tkg, Mlr. *Numidas prospectavit* Rmn.

Verbum aliquod addendum est, additumque a Carbachio *vidit,* quod quidem, si proxime *vicos* positum fuit, propter binarum syllabarum similitudinem facile excidit, non autem si post *Numidas,* quo loco praeterea ut absonum propter homoeoteleuton, ubi sequitur similiter desinens *occidit,* evitandum erat. Numidas, quorum paucos occidit, licet primo forsitan e longinquo viderit, ad id significandum non opus est verbo *prospiciendi,* quod, si fuisset, non tam facile omissum esset. Saepius memorantur equites procul visi (ut 4, 40, 2). Ceterum, utrum propiores an remotiores visi sint, hoc nihil ad rem.

15, 5 *per occasionem* cdd. edd. ante Mvg, post Wbn, Wln, Tkg. *et per occ.* Mvg, Rmn. *ac per occ.* Mlr. Dissolute id, quod auctionem continet, adnectitur. Vide infra ad 18, 10.

15, 7 *ipsa eum* Wbn, Tkg, Mvg. 3, Rmn, Mlr. *ipsum* cdd. edd. ante Wbn. *ipsa* Mvg 1, 2, Wln. — Ib. *pertrahere* PCM probante Gebhardo Bkr, Als., FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg. *pertraxere* 1. 3. Al. Mog. Sob. Frob. Gron. Drak. Mvg, Rmn, Mlr.

15, 10 *rursus cursu* cdd. edd. ante Wln. *[rursus] cursu* Wln, Mvg 2, 3, Tkg, Mlr. Rursus fugiebant Romani equites, ut paulo ante Carthalonem continenti cursu persequentem effugerant, et quidem iam effuso cursu ad dictatorem perfugerunt. *„rursus,* c'est la seconde fois qu'ils fuient, v. § 8", Riemann.

16, 4 *et perhorridas silvas* Wbn, Hz, Mvg 1. *et per horridas silvas* Mvg 2, 3, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *et perhorridas situas* P *perhorrida situ* edd. ante Wbn.

Hannibali hibernanti, ut narrat Livius, ab altera parte erant Formiana saxa, ab altera Literni arenae stagnaque et perhorridae silvae. Stagna effecit ad Liternum Clanis flumen, ac prope Liternum erat silva Gallinaria infamis. Sic ab utraque parte fines describuntur, inter quos Hannibali erat hiemandum. Qui divulso adiectivo praepositionem separant, ii et inter Formiana saxa ac Literni arenas stagnaque Poenum hiemantem faciunt et eundem per silvas hibernantem, quasi hae silvae inter fines istos pertinuerint. Dicitur v. c. 22, 19, 12 instruere per litus aciem, nusquam, opinor, hibernare per silvas.

16, 8 *prima nocte* Tkg. *primis tenebris noctem* P. *primis tenebris noctis* edd. ante Wbn. *per noctem* Wbn. *nocte* Hz, Mvg, Wln, Rmn, Mlr. Ante *nocte* verbum aliquod ansam obtulit eorum, quae paulo post sequuntur, *primis tenebris,* illic inserendi, egetque ipsum nomen definitione aliqua, quemadmodum antecedit § 6 *principio noctis.* Non per totam noctem, sed ineunte nocte armentum accensis cornibus ad montes agi oportebat.

Ib. *cornua veniens* Mvg 3, Mlr. *cornuumaueniens* P, quae est duplex scriptura, *cornuum* et *cornua veniens.* Falsus nominis exitus *um* ante verum, qui est *a*, se insinuavit. Haec scriptio Puteanei ab Als. neglecta per Luchsium primum ad nonnullorum notitiam pervenit, dum reliqui omnes antiquae lectioni *ad imaque cornuum adveniens* adhaerent, etiam Mvg 2, ubi tamen hoc adnotavit: „aut *veniens* aut *adveniens* scribendum videtur".

17, 2 *a capite* Wbn, Wln, Mlr. *ex capite* reliqui omnes. *ex campie a capite* P (*campite* P m. 2.). Relucebat flamma a capite, non ex capite. In duplici scriptura glossema hic, ut fit, antecedit idque depravatum.

17, 3 *circa* Wln, Mvg 2, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr. *circum* edd. ante Wln. *circuma* P, eadem ratione dittographiae atque § 2 *cornuuma.*

Ib. *virgulta visa ardere* Mvg 3, Rmn. *virgulta ardere* P edd. *(virgulta) ardere* Hz. *virgulta ardere visa* Ant. Perizon. Omissum *visa* post *virgulta* eadem de causa, qua c. 15, 5 *vidit* post *vicos.* Hic quoque quod perierat verbum mature inventum atque ab inventore alieno loco positum.

17, 6 *tumultu,* quod primus protulerat Lipsius, reliquit tandem Gronovius, cui *metu* reponendum videbatur, ubi PCM habent *multo,* quod quidem ex *tumultu* facilius ortum est. De sensu utique vocabuli perditi non erraverunt 1. 3. Al. Mog. Sob. Frob. Grut., a quibus *strepitu* substitutum est; sed iidem *multo* retinent et, quod peius est, *maximoque* addunt, proterunt *maiore.* Iam recte scribunt recentissimi plerique *maiore tumultu* omissa denique coniectura Gronoviana. Sequitur paulo post *Hunc tumultum sensit Fabius.*

18, 2 *pervenisset* cdd. edd. vulgo. *supervenisset* e coni. Gron. Bkr, Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *cohors ad id ipsum remissa ab H.*

pervenisset, nempe ad id ipsum pervenisset, ut Romanos superare prohiberet. Quam ob rem ab Hannibale ea cohors remissa erat, ad eam rem conficiendam opportune pervenit.

18, 8 *Larinati* Asc. Mog. *larinate* P edd. vulgo. At 22, 24, 1 labrinati P, 45, 2, 11 *larinati.*

18, 9 *hostis medicos* Wbn 1, Tkg. *hostis; medicos* FH, Wln, Rmn. *hostis: medicos* Als. Hz, Wbn 6, Mlr. *hostis. Medicos* Tauc. Bkr. „Ein Colon hinter hostis zerstört den Sinn", Nägelsb. Stil. § 184. 2. *medios* cet. cum enuntiato superiore sic coniungendum: *ne nihil actum censeret extr. p. aest. per ludif. hostis,* precari atque orare, ut secum hoc consideraret, *medicos quoque plus interdum quiete — proficere.*

18, 10 *vinci desisse, ab cont. clad. respirasse.* Dissolute ponitur enuntiatum, ubi, quod praemissum est, accuratius est exponendum. 1, 49, 7 morem senatum consulendi solvit, domesticis consiliis rem publicam administravit. 2, 49, 2 Si sint duae roboris eiusdem in urbe gentes, deposcant haec Volscos sibi, illa Aequos cet. 3, 7, 7 senatus ad deos populum ac vota vertit, iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum ire cet. 10, 26, 6 Sunt, quibus ne haec quidem certamina exponere satis fuerit, adiecerint et Appii criminationes cet. 21, 10, 7 Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite, quae terra marique per quattuor et viginti annos passi sitis. 22, 14, 4 Spectatumne huc, ad rem fruendam oculis venimus? 22, 15, 5 ubi vagos passim per vicos vidit Numidas, per occasionem etiam paucos occidit. 22, 25, 2 Cum dictator unus nihil nec famae nec litteris crederet, ut vera omnia essent, secunda se magis quam adversa timere diceret cet. 22, 25, 12 cum clades per inscientiam ducum acceptas referret, magistro equitum — rationem diceret reddendam esse. 22, 39, 3 si altera parte claudet res publica, malis consiliis idem ac bonis iuris et potestatis erit. 23, 33, 10 Philippus in Italiam traiiceret et vastaret maritimam oram, bellum pro parte sua terra marique gereret. 39, 16, 1 Minus tamen esset, si flagitiis tantum effeminati forent, a facinoribus manus abstinuissent. 40, 7, 7 si mihi quiritanti intervenisses, Demetrium cum armatis deprehendisses. 40, 14, 11 cum comissator ego discessissem, quattuor substitissent.

Contra ac decet in huiusmodi enuntiatis coniunctio (et, ac, que, cf. supra ad 9, 5) additur vulgo a quibusdam, ut hoc, de quo nunc quaerimus, loco in edd. vett. *et a* (vel *ab*) *cont. clad. respirasse,* quod repetivit Madvig, et sic saepe similibus locis: scripsit enim contra codices 35, 27, 3 Cum ibi stativa essent, *et* pauci tabernacula haberent, 37, 38, 4 cum longius certamen fieret *et* Romanorum — cresceret numerus, 45, 36, 1 cum privatis de lege dicendi locus esset, *et* ad suadendum haud quisquam procederet.

Ib. *ab continuis cladibus respirasse* edd. ante et post Als. *ab cont. cladibus ac respirasse* PC Als. *(resperasse* P*). ac respirasse ab cont. cladibus* e coni. Luchsii Mlr. Coniunctione aliqua, ut adsolet, hoc enuntiatum praecedenti adnectere voluerunt, atque ut in recentioribus cdd. *et* ante *ab continuis* mansit, sic in P *ac,* quod eidem loco destinatum erat, in alium, ubi nihil habet, temere delatum est.

19, 2 *adiecit* cdd. edd. *adiectis* e coni. Luchsii Mlr. Non immoratur scriptor in his, quae narrat: ad navium numerum *decem adiecit,* quasi maior vis his verbis tribuatur, sed statim festinat ad hoc accuratius exponendum: *quadraginta navium classem Himilconi tradit.* Inciso igitur (non maiore interpunctione) distinguenda enuntiata illa, ut quae eiusdem generis sunt, cuius exempla modo ad 18, 10 attuli.

19, 3 *navibus* cdd. edd. *naves* e coni. Rupertii Mvg, Rmn, Mlr. *navibus prope terram* (sc. ductis, i. e. dum naves prope terram ducuntur) *exercitum in litore ducebat.* Deerat particip. praes. pass., alterum, ubi e verbo sequenti facile intellegi poterat, evitatum est. Aliter res se habet 24, 36, 6 legio maritimis locis classe prosequente ad Ap. Claudium pervenit. Agnoscitur dictum Polybii (3, 95) *ταῖς μὲν ναυσὶ παρὰ τὴν χέρσον ἐποιεῖτο τὸν πλοῦν, τοῖς δὲ πεζοῖς τὴν πορείαν παρὰ τὸν αἰγιαλόν.* Etiam de triginta navibus a fratre acceptis Livius hic ut Polybius loquitur, etsi 21, 22, 4 plures fuisse dixerat. Hasdrubal classe Himilconi tradita *τὴν πεζὴν ἠθροικὼς δύναμιν ἀνέζευξε,* nec potest *navibus* ad *profectus* referri nisi quo sensu scribit ibidem Polybius *ἀνήχθη τετταράκοντα ναυσὶ καταφράκτοις.* Quod reliquum est, auctor ille Graecus Hamilcarem praefectum navium facit. Cf. Liv. 24, 35, 3. 27, 6, 13.

20, 4 *provecti* PC Al. Ald. Sob. Frob. Gron. Drak. Wbn, Tkg, Rmn, Mlr. *profecti* 1. 3. Asc. Mog. Grut. Mvg, Wln. Non tam de itinere destinato dicitur quam de classe victrice tandem ad Onusam urbem promota.

20, 7 *praelecta est ora* edd. recent. fere omnes praeter Weissenbornium, qui tamen ipse primus hanc coniecturam protulerat (is ed. 6 *praetervecta est oram*, antea vero *praevecta est oras*). *periectas oras* PM. *proiectas oras* C. *per retas oras pretervecta* 1. *proiectas oras praetervecta* 3., quae scriptio duplex per trecentos annos obtinuit. In litteris maiusculis et uncialibus saepe I pro L scribebatur. Itaque de hac emendatione necessaria nihil dubii est. Num vero *per* in *prae* mutare necesse fuerit, dubito. Praelegere oram nihil aliud esse volunt nec aliud re vera est nisi oram praetervehi intactum eam relinquentem. Perlegere oram, etiamsi ne apud Tacitum quidem, ut semel alterum illud, inveniatur, aut est oram per totam longitudinem adeoque studio quodam legere, aut oram legere ac perlustrare hostilia perquirentem atque tollentem. Neque enim attinuit referre nihil agentes residesque Romanos quasi animi voluptatisque causa continentis oram praetervectos antequam in Ebusum insulam transmitterent, idque non ut praeterveherentur, sed ut eam quoque visitarent ac subigerent. Forma pluralis *oras* errore orta est, nam habet pro *ora sed* (vel *set*) P m. 1. *orasset*, m. 2. *oras et*, ad *oras* rursus alio errore accommodatum *periectas* verbo *est* evanescente.

20, 10 *ad Hiberum incolunt* Mog. Sob. *Hiberum incolunt* PCM 1. 3. Al. Ald. Frob. Grut. Drak. SD, Rup. FH, Hz. *cis Hiberum incolunt* e coni. Gron. Bkr, Tkg, Mlr. *Hiberum accolunt* ex altera coni. Gron. Als. Wbn, Mvg, Wln, Rmn.

Flumen incolere homines non in prosa oratione dicuntur. *accolunt* in *incolunt* mutatum a fide abhorret; nec magis credo *cis* hic omissum esse. Ea vero praepositio cum statu rerum minus convenit. Redierat enim Cn. Scipio in citeriora provinciae, quae certe pleraque Romanorum erant; itaque omnes illos populos, qui ad eum cis Hiberum legatos miserint, saltem ex parte trans id flumen incoluisse apparet, cui rei fides etiam magis augetur hac distinctione, multorum et ultimae Hispaniae populorum advenisse legatos. Sive codici alicui debetur ea praepositio, quam

pro vera habeo, sive divinationi Carbachii, facile *ad* hoc loco excidit. Saepissime enim in edd. ubi vocalis *a* post *qui* sequitur, *quia* scriptum et consonans sequens omissa est; nonnumquam deinde *a* illud alieno loco deletum. Frequentissimum est apud Livium verbum incolendi absolute positum cum praepositionibus, cis, circa, inter, prope; sic etiam ad 5, 33, 9 Tusci ad inferum mare incoluisse narrantur. Ed. Ald., quae alias plerumque Carbachium sequitur, hic neglexit, quo factum est, ut illa emendatio in oblivionem veniret.

21, 2 *Indibilisque* Gron. Mvg, Wln. *Indebilisque* P Als. Wbn. *vir nobilis* edd. ante Gron. Quattuor aliis locis in P legitur *indebilis*, 25, 34, 6 et 7. 27, 17, 9. 29, 2, 14. At noviens ibidem *indibilis* scriptum vidi: 26, 49, 11 et 13. 27, 17, 3; 19, 7. 28, 24, 3; 31, 5; 34, 3. 29, 1, 19; 3, 2. Obversabantur omnino animis scribarum verba usitata.

21, 4 *tribunus militum* Gron. Drak. Bkr, Als. FH, Wbn, Tkg. *tribus milibus* edd. (*militibus* P ante rasuram) edd. ante Gron. *tribuni militum* Mvg, Wln, Mlr, qui mutationis nullam rationem attulerunt. Negotia similia singulis tribunis data saepius memorantur, ut 32, 11, 7 Quattuor milia lecta peditum et trecentos equites tribuno militum tradit consul T. Quinctius. Impedimento non esse, quod sequitur, verbum plurale *missi*, iam monuit Gronovius.

Ib. *omnes* Gron. Drak. Crev. SD, Bkr, Wbn, FH, Mvg 2, Rmn. *omnis* P (nempe *fuderem omnis*). *omnibus* P m. 2. C. *multis* edd. ante Drak. *in omnes partes* Mvg 1. *hominibus* Hz. *mille hominibus* Mvg 3, Mlr. *momento temporis* Wln. Praecedit in C aliisque edd. non *fudere*, sed nota huius exitus verbi confusione *funderent*, in P *fuderem*. Cf. 22, 1, 2 *viderent* edd.

Ib. *captisque* P Gron. rell. ante Mvg 3. *captis* edd. vett. (ante Gron.), Mvg 3, Mlr, qui incidunt ante *quibusdam*. Dicitur hic *occisis quibusdam captisque* sic ut Caes. b. G. 5, 14 deni duodenique, Hor. Epod. 5, 33 bis terque. Dum hostes a Romanis omnes funduntur, nonnullos occidunt, plures capiunt, quorum magnam partem armis exutam dimittunt. Cf. 23, 24, 10 ceteram multitudinem interfecerunt paucis e tanto numero captis.

22, 13 *nomen* edd. edd. *momentum* Mvg, Wln. *quorum maxi-*

mum nomen in civitatibus est suis, i. e. quorum inprimis magna fama ac laus est, qui ita plurimum apud cives suos valent auctoritate. Hac vi *nomen* apud Livium usitatissimum est: Praef. 3 si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum me, qui nomini officient meo, consoler (cf. 2, 33, 9 sua laude obstitit famae consulis, 26, 40, 5 eius gloria imperatoris famae officiebat, 38, 58, 9 ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret). magni nominis bellum 21, 43, 11. 31, 8, 6. ingentis nominis regem 30, 17, 4. tanti nominis regibus 44, 25, 9. celeberrimi nominis duces 4, 54, 8. 27, 40, 6. Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est 25, 39, 16. Magnas opes sibi magnumque nomen facere 1, 9, 3. Usque eo inutilis hic est coniectura.

22, 19 *superbos* PCM Als. Wbn 1, FH, Hz, Tkg. *superbosque* edd. ante Als., item Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. Est gradatio adiectivorum. Constanter quidam editores in bimembri dissoluto copulam suo arbitratu addunt. Vid. supra ad 9, 5.

24, 8 *utique* Wbn, Hz, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *utitaque* PC. *itaque* C m. 2. Asc. Als. Mvg (qui *tum ut* uncis includit). *itaque ut* edd. ante Wbn.

Hannibal iam castra propius hostem moverat; cum vero Romani Numidas de tumulo deiecissent ipsique eo castra transtulissent, tum utique exiguum spatii vallum a vallo aberat. Cf. 22, 27, 1 Minucius cum iam ante vix tolerabilis fuisset — — tum utique immodice — gloriari. Ex iis ipsis, quae praecedunt, non continuo sequitur, ut exiguum spatium fuerit, quare altera pars duplicis scripturae, quae est *itaque*, aliena est ac merito reiicitur a plerisque.

24, 10 *Fabii* Mvg 2, Rmn. *Fabii. pars exercitus aberat iam fame* PCM 1. 3. Asc. Al. (*iam ferme* Mog. Frob. Gron. Als. Ante *iam* vulgo incidunt). Uncis iam includunt plerique. Vid. supra ad 8, 6.

24, 12 *et equites quingentos ducentem* e coni. Gron. Drak. Bkr, Mvg, Rmn, Mlr. *et equites adducentem* PCM. *et equites ducentos adducentem* edd. ante Gron. *mille equites adducentem* Als. Hz, Wbn 1. Alii numerum omittunt, qui, si D fuit, facile in *adducentem* abiit.

24, 14 *famam* cdd. edd. *vanam famam* Wln, Mvg 2, Mlr. Famam egregiae victoriae in tam pari prope clade vanam fuisse satis per se intellegitur, nec id addere convenit.

25, 1 *iis* P 1. 3. Asc. Mog. Als. Wbn, Wln. *his* Al. Frob. Gron. Drak. Mvg.

25, 2 *crederet* P edd. vett. Gron. Drak. Als. FH. *crederet et* Wbn, Hz, Mvg, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. Exempla vero, quae supra ad 18, 10 attuli, etiam atque etiam suadent, ut dissoluta illa oratio hic quoque integra relinquatur.

25, 3 *id enimvero* Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *id enim* P Gron. Drak, Als. Wbn, Hz, Tkg. *id unum enimvero* 1. Asc. Al. Mog. rell. ante Gron. Facile *vero* ante *ferendum* excidit, et est *enimvero* praeclarius, quam ut a primis editoribus profectum esse putetur.

25, 4 *sedulo* Mog. Ald. sqq. Gron. Drak. Mvg. Rmn, Mlr. *[ac] sedulo* Wln, Wbn 6. *ac sedulo* PCM 1. 3. Asc. Al. Als. FH, Wbn 1, Hz, Tkg.

Heusinger, Teuffel, alii *ac* in hoc contextu sermonis interpretari minus prospere conati sunt; vulgo, ut olim, sic hodie hanc particulam omittunt. At num sublata illa omnia bene se habent? 3, 46, 7 *sedulo tempus terere* idem est quod 28, 15, 3 *sedulo diem extrahere*, itaque de industria tempus trahere (44, 10, 2). Quid est vero bellum ducere, nisi de industria bellum extrahere, sive lentius, quam opus est, facere? Si quis igitur in ducendo bello sedulo tempus terit, is, cum de industria bellum lentius facit, de industria tempus trahere dicitur. Quod quidem scribendi genus Livio non dignum est. Accedunt alia, quae dubium moveant. Constans enim usus Livii est bellum trahere (non ducere), velut 3, 62, 3. 4, 18, 1. 5, 10, 7; 11, 8. 7, 12, 12. 9, 23, 12; 27, 5; 32, 3. Particulam vero illam *(ac)*, quae ab codicibus firmissima est, expellere dubitationem habet. Et est aptissima, si scribatur: — — *absentem etiam gestae obstare ac sedulo tempus terere, quo diutius* cet. Si belli dux, quod sedulo tempus terat, vituperatur, ineptum sane est addere *in ducendo bello*. Quae cum ita sint, magnopere vereor, ne futilibus additamentis posteriorum adnumeranda sint ista: *et in ducendo bello*.

25, 7 *sed et* M m. 2. Pal. sec. *it et* P. *item et* M. *it sed*

mum nomen in civitatibus est suis, i. e. quorum inprimis magna fama ac laus est, qui ita plurimum apud cives suos valent auctoritate. Hac vi *nomen* apud Livium usitatissimum est: Praef. 3 si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum me, qui nomini officient meo, consoler (cf. 2, 33, 9 sua laude obstitit famae consulis, 26, 40, 5 eius gloria imperatoris famae officiebat, 38, 58, 9 ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret). magni nominis bellum 21, 43, 11. 31, 8, 6. ingentis nominis regem 30, 17, 4. tanti nominis regibus 41, 25, 9. celeberrimi nominis duces 4, 54, 8. 27, 40, 6. Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est 25, 39, 16. Magnas opes sibi magnumque nomen facere 1, 9, 3. Usque eo inutilis hic est coniectura.

22, 19 *superbos* PCM Als. Wbn 1, FH, Hz, Tkg. *superbosque* edd. ante Als., item Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. Est gradatio adiectivorum. Constanter quidam editores in bimembri dissoluto copulam suo arbitratu addunt. Vid. supra ad 9, 5.

24, 8 *utique* Wbn, Hz, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *utitaque* PC. *itaque* C m. 2. Asc. Als. Mvg (qui *tum ut* uncis includit). *itaque ut* edd. ante Wbn.

Hannibal iam castra propius hostem moverat: cum vero Romani Numidas de tumulo deiecissent ipsique eo castra transtulissent, tum utique exiguum spatii vallum a vallo aberat. Cf. 22, 27, 1 Minucius cum iam ante vix tolerabilis fuisset — — tum utique immodice — gloriari. Ex iis ipsis, quae praecedunt, non continuo sequitur, ut exiguum spatium fuerit, quare altera pars duplicis scripturae, quae est *itaque*, aliena est ac merito reiicitur a plerisque.

24, 10 *Fabii* Mvg 2, Rmn. *Fabii. pars exercitus aberat iam fame* PCM 1. 3. Asc. Al. (*iam ferme* Mog. Frob. Gron. Als. Ante *iam* vulgo incidunt). Uncis iam includunt plerique. Vid. supra ad 8, 6.

24, 12 *et equites quingentos ducentem* e coni. Gron. Drak. Bkr, Mvg, Rmn, Mlr. *et equites adducentem* PCM. *et equites ducentos adducentem* edd. ante Gron. *mille equites adducentem* Als. Hz, Wbn 1. Alii numerum omittunt, qui, si D fuit, facile in *adducentem* abiit.

24, 14 *famam* cdd. edd. *vanam famam* Wln, Mvg 2, Mlr. Famam egregiae victoriae in tam pari prope clade vanam fuisse satis per se intellegitur, nec id addere convenit.

25, 1 *iis* P 1. 3. Asc. Mog. Als. Wbn, Wln. *his* Al. Frob. Gron. Drak. Mvg.

25, 2 *crederet* P edd. vett. Gron. Drak. Als. FH. *crederet et* Wbn, Hz, Mvg, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. Exempla vero, quae supra ad 18, 10 attuli, etiam atque etiam suadent, ut dissoluta illa oratio hic quoque integra relinquatur.

25, 3 *id enimvero* Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *id enim* P Gron. Drak, Als. Wbn, Hz, Tkg. *id unum enimvero* 1. Asc. Al. Mog. rell. ante Gron. Facile *vero* ante *ferendum* excidit, et est *enimvero* praeclarius, quam ut a primis editoribus profectum esse putetur.

25, 4 *sedulo* Mog. Ald. sqq. Gron. Drak. Mvg. Rmn, Mlr. *[ac] sedulo* Wln, Wbn 6. *ac sedulo* PCM 1. 3. Asc. Al. Als. FH, Wbn 1, Hz, Tkg.

Heusinger, Teuffel, alii *ac* in hoc contextu sermonis interpretari minus prospere conati sunt; vulgo, ut olim, sic hodie hanc particulam omittunt. At num sublata illa omnia bene se habent? 3, 46, 7 *sedulo tempus terere* idem est quod 28, 15, 3 *sedulo diem extrahere*, itaque de industria tempus trahere (44, 10, 2). Quid est vero bellum ducere, nisi de industria bellum extrahere, sive lentius, quam opus est, facere? Si quis igitur in ducendo bello sedulo tempus terit, is, cum de industria bellum lentius facit, de industria tempus trahere dicitur. Quod quidem scribendi genus Livio non dignum est. Accedunt alia, quae dubium moveant. Constans enim usus Livii est bellum trahere (non ducere), velut 3, 62, 3. 4, 18, 1. 5, 10, 7; 11, 8. 7, 12, 12. 9, 23, 12; 27, 5; 32, 3. Particulam vero illam *(ac)*, quae ab codicibus firmissima est, expellere dubitationem habet. Et est aptissima, si scribatur: — — *absentem etiam gestae obstare ac sedulo tempus terere, quo diutius* cet. Si belli dux, quod sedulo tempus terat, vituperatur, ineptum sane est addere *in ducendo bello*. Quae cum ita sint, magnopere vereor, ne futilibus additamentis posteriorum adnumeranda sint ista: *et in ducendo bello*.

25, 7 *sed et* M m. 2. Pal. sec. *it et* P. *item et* M. *it sed*

C. *sed* 3. Asc. Mog. Ald. Frob. Gron. Als. Mvg, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr. *et* 1. Drak. SD, Bkr, FH, Wbn 1, Hz.

Itaque inter criticos iam convenit scribendum esse *sed*, ubi P post *sit* praebet *it*, quod vero post hoc apertissime in P exstat *et*, id omnes neglegunt; adnotaverat tamen Kreyssig in Glossario *et* pro *sed et* hoc loco scriptum esse.

25, 12 *popularis* cdd. edd. *populari* Mvg, ut maluerat Gron. Fabius minime popularis futurus fuit in agendo cum populo; praesens igitur de iure imperii dimicare noluit (§ 16). Actio vero de aequando magistri equitum et dictatoris iure certe fuit popularis, favente nimirum plebe temeritati Minucii.

Ib. *cum* Hz, Rmn, Mlr. *huncum* P. *hunc cum* P m. 2. 1. 3. Als. *tunc cum* Al. Mog. Ald. rell. ante Hz. *[tunc] cum* Mvg. *uncum* vel *huncum* e litteris confluentibus *urcum* (ubi lectum est *audiebat*) conflatum esse opinor. Restituta verbi forma passiva mansit dittographia.

Ib. *inscientiam* CM m. 2. 1. Gron. Drak. Als. Wbn, Mvg, Wln, Tkg, Rmn. Sic etiam cdd. Pall. pr. et sec. Lov. pr. Cant. Voss. Harl. Hav. alii. *scientiam* PM. *inscitiam* 3. Asc. Al. Mog. Frob. Grut. Mlr (suadente Luchsio).

Etsi prima syllaba in P, ut fit, omissa est, tamen forma ipsa nominis constat, atque in reliquis omnibus cdd. scribitur *inscientiam*. Cf. Caes. b. G. 3, 19, 3. 7, 43, 4. Iunguntur quidem a Livio temeritas atque inscitia quattuor locis a Luchsio adlatis, quibus addi potest 42, 49, 5; tamen in tanta constantia codicum atque in verbo tam probabili non est alia scriptura, quamvis apta sit, nimia arte arcessenda. Non ob eam potissimum causam reprehendendum supra § 4 *ducere* bellum, quod Livius ceteris locis *trahere* habet, multo minus ob id ipsum mutandum.

25, 13 *magistro* scripsi. *magister* PC. *magistroque* 1. 3. Al. Mog. Frob. Gron. Drak. Als. Wbn 6. *et magistro* Mvg, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. (*Magister equ.* — *dicere* FH, Hz. *Magistro equ.* — *dicere* Wbn 1.)

Locis vicinis in P plene scriptum est *magister equitum*, ubi alii casus necessarii sunt: c. 24, 14 pro *magistri*, 25, 8 pro *magistrum*, 27, 3 pro *magistro*. In scribendi compendio (quod interdum in P mansit, ut 28, 10, 1 mag. eq.) res non intellecta est,

quamobrem casus mutatio vix ullam dubitationem infert. De enuntiato dissolute accedente vide supra ad 18, 10.

26, 3 *quaesturaque* (e coniectura Gron. et Crev.) Bkr, Mvg, Rmn, Mlr. *quaestura quoque* PCM 1. 3. rell., etiam Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg.

Perverse sic narratur, Terentium Varronem, postquam ad honores pervenerit, quaestura quoque et duabus aedilitatibus et praetura perfunctum esse; recte autem *que* explicativo indicantur honores, ad quos pervenisset. Non insolitus is error est, velut in P 27, 15, 5 apparatu quoque (pro apparatuque), in cdd. cisalpinis 2, 30, 9 loco quoque, 3, 62, 8 simul quoque. Vid. Gron. ad 2, 40, 12 monumento quoque, 44, 5, 13 campi quoque. Drak. ad 5, 27, 1. Frequentissime P errat in que enclitico, quod vulgo pro Q. (Quintus) scribitur, saepissime falso additur vel iteratur, idque interdum cum aliqua immutatione: v. c. 26, 33, 14 iubemus queque, 27, 4, 5 quaeq. prospera, 27, 7, 3 quaequae in litteris.

26, 4 *dictatoria* PM edd. *dictatoris* C Mvg. Cf. 3, 43, 2 invidia decemviralis, 3, 42, 6 decemvirale odium, 3, 16, 3 terror servilis, Cic. Cluent. 28, 77 ex invidia senatoria crescere, Att. 6, 8 terrores Caesariani, Verr. 1, 10, 28 consularis metus, Sall. Iug. 41, 2 metus hostilis, Liv. 27, 4, 6 Romanam amicitiam.

26, 7 *senatus* ex coni. Lipsii Mvg, Rmn. *s. c.* PC. *sicut* 1. *senatus consulti* 3. Ald. Mog. Sob. Frob. Drak. Bkr, Als. *senatusque consulto* ex coni. Gronovii FH, Hz, Wbn, Wln, Tkg, Mlr.

S. C., plerumque lineola supra ducta, frequens est in P scribendi compendium pro senatus consultum, consulti, -to, -tis (v. c. 26, 29, 1); etiam sc vel sec (25, 5, 9); alibi totum integrum. Ubi litterarum simul mentio fit, scribitur litterae ac (vel et) senatus consultum (24, 14, 9. 26, 15, 8. 41, 12, 7) litterae senatusque consultum (26, 15, 10), senatus consultum litteraeque (37, 57, 4). Praetor autem iussu senatus litteras ad consules mittebat: 22, 33, 9. 25, 22, 11; 41, 8. 26, 15, 8. 37, 57, 4. 41, 12, 7. Nonnumquam de litteris consulis commemoratur: 21, 63, 1. 24, 14, 9. 40, 41, 10. Hoc, in quo versamur, loco nulla est coniunctio, nec facile senatus consultum appellatur, quod et paulo ante (§ 4) et c. 30, 4, sicut erat, scitum plebis vocatum est, etiamsi senatus

auctoritas accesserat. Adest fortasse gravius mendum. Alio loco, 28, 20, 1, in P post *subeuntibus* inseritur s. c. TR., quod interpositum omnium frustratum coniecturas eiicitur ab editoribus. Vix firmiore id, quod iam invenimus, s. c. nititur fundamento, nec prioris partis melius est ius quam posterioris. Ceterum non necesse erat indicare, a quo litterae missae essent.

27, 1 *rebus secundis* P scr. corr., monente Luchsio Mvg 3, Mlr. *secundis rebus* P scr. pr. 1. 3. Al. Mog. Drak. Als. cett. omnes. Ordo verborum mutandus in P indicatur lineolis directis, simplici super *rebus*, duplici super *secundis;* cuius codicis transpositiones vicinae infra notantur §§ 7, 8, 11.

27, 7 *non consilio solum* Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg, Rmn. *non solum consilio* 1. 3. Al. Mog. Frob. Gron. Drak. Mvg, Mlr. *solum non consilio* P. Cf. 4, 23, 4. 7, 18, 9. 23, 35, 11. 26, 46, 4. 27, 12, 6. 29, 18, 9. 31, 22, 7. 39, 47, 2. 40, 11, 4.

27, 8 *omnia enim fortunam* 1. 3. Asc. Al. Mog. Frob. Drak. FH, Wbn, Wln, Tkg. *omnia fortunam enim* PC Als. *omnia fortunam eam* auctore Madvigio Hz, Mvg, Rmn. *omnia eam fortunam* Mlr. — Ib. *habitura quamcumque* e coni. Burmanni Hz, Mvg, Tkg, Rmn, Mlr. *habituram, quaecumque* edd. ante Hz, post Wln, Wbn 6.

Orta sunt falsa accommodatione duo menda vulgaria, *habituram* ad *fortunam* relatum et *quaecumque temeritas*. Coniunctione *enim,* quam tollere volunt, causa indicatur, cur Fabio non placuerit partitis temporibus alterius imperium esse. Structura denique haec est: omnia habitura quamcumque fortunam temeritas collegae habuisset.

Ib. *cum alio* PCM 1. 3. Als. Wbn, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *cum illo* Asc. Al. Mog. Frob. Gron. Drak. Mvg. Cum indignatione locutus Fabius nec dicit *cum illo* nec *cum altero,* quasi iste sibi par fuerit.

27, 11 *quoque se* Wbn, Mvg, sqq. *se quoque* P edd. ante Wbn. Non opponuntur alii separandi. Quartum brevi spatio exemplum est ordinis verborum in P mutati.

28, 9 *minis* quinque edd. a Drak. adlati, Mvg, Wln, Wbn 6. *animis et nimis* PC. *animis et minis* edd. ante Mvg. Postquam solito errore (vide ad 9, 2) *nimis* pro *minis* scriptum est, pro

vanis nimis conflatum *vanis animis,* quod solum sibi sumpserunt nonnulli edd., dum alii modo *vanis minis* servant.

28, 11 *crescente* edd. ante Als. Mvg. 1. *ut crescente* C Als. Wbn, Hz, Tkg, Rmn. *increscente* Wln, Mvg 2, Mlr.

Confusione verborum *aliacrescente* exstitit in Pal. sec. et M m. 2 *accrescente,* cuius incrementi varietas forsitan sit, quod est in P, *aut crescente,* ex quo effinxit Wln *increscente,* quod legitur 10, 5, 2 clamor ab increscente certamine. Satius erat meminisse Livium abl. absoluto non eo uti, sed *crescente* certamine 27, 48, 11. 37, 38, 7. Addito autem *ut* oneratur ac flaccescit oratio.

28, 12 *inferiore* edd. edd. ante Mvg., item Wbn, Wln, Tkg. *ex inferiore* Mvg, Rmn, Mlr.

Levem armaturam Romanorum tumulum ab hostibus praeoccupatum succedentem ex inferiore loco (non e superiore) successisse vix Livio in mentem venerit monere; quantum processissent, narrare e re erat, succedentes iam inferiore loco tumuli pulsos esse eos, antequam altius escenderent. Arte cohaerent haec neque inciso dividenda: levis armatura inferiore loco succedens tumulum pulsa terrorem intulit in equitem succedentem, i. e. in equites, qui et ipsi tumulum proxime eos succedebant. In eadem re verbo variato *subsequentem* scribere (ut vult Mvg) non opus erat.

28, 13 *ac recta* Wln, Wbn 6, Mlr, nempe *ac [si] recta. ac si recta* PCM Als. FH, Wbn 1, Tkg. *aut recta* 1. 3. Asc. Mog. *aut si recta* Al. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. *aut directa* e coni. Weissenbornii Mvg. *aut derecta* Rmn.

Non sic differunt inter se adiectiva illa, ut *si* apte repetatur, nec illud una cum copula repeti solet. Ceterum, quam paulum ad rem pertineat iteratione facta hic in P scribi *si iusta ac si recta,* indicio iam id est, quod paulo post ibidem invenitur, *ut nec ut animus.* Nam sic scriptum esse mihi videtur, non, quod refert Als., *ut necui.* Recte igitur Wbn, Hz, Wln, Tkg *ut nec animus* habent, quod est in 1. 3., etsi iam Asc. *neque* scribit, quod in sequentibus edd. mansit.

29, 11 *arma dexterae* PC Als. FH, Wbn, Tkg. *arma dexteraeque* edd. ante Als. *arma ac dexterae.* Vide supra ad 6, 6.

30, 3 *quo fando* cdd. edd. *quod fando* Mvg, Rmn, Mlr. Minucii adlocutio haec est: Parentem te appellans parentibus meis te, dictator, aequavi, *quibus te modo nomine fando* aequare *possum,* i. e. hoc temporis momento parentis nomine uno te parentibus loquendo parem ponere possum: non aliud nomen ad id offert lingua. *fando,* sive verba faciens (dum facio) est abl. modi. Cf. 30, 28, 4 senex vincendo factus. Madvigio, qui *nomine fando* coniungit, tota sententia inanis videtur.

30, 4 *quod exercitibus his tuis* scripsi. *quod exercitusque his tuis* P. *quod exercitibusque his tuis* Gron. Drak. Als. *quod exercituique tuo* 1. 3. Al. *quod meo, exercituique tuo* Mog. Ald. Sob. *quod meo exercitui tuoque* Gryn. Frob. *quod* uncis includunt Wbn, Mvg, Wln, Mlr, tollit Rmn., omnes codices tenent, *que* non item. Quam leviter in P *que* adstruatur, vel haec libri XXII. exempla satis sint documento: 12, 4 et concessumque, 16, 7 praeliganturque, 18, 3 ac leviorque, 27, 4 secuturumque, 38, 13 et quaque, 54, 5 utrumque, 59, 1 Iuniusque. Weissenborn *quod* repetitum ob eam causam suspectum habebat, quod in aliis, quae adfert, exemplis formulae illius sollemnis *quod bonum faustum felixque sit* nulla est talis repetitio; at hoc loco formula illa ex parte tantum adhibetur, ac seiunguntur magis a dativis praecedentibus dativi qui sequuntur cum appositione, quamobrem utique in adlocutione concitata anaphora idonea est. Quae cum ita sint, *que,* non *quod,* loco cedat oportet.

30, 8 *par gloria* cdd. edd. *pari gloria* auctore Harantio Rmn, Mlr. Vulgo *gloria* pro nominativo habetur, monetque Harant, nisi addatur *eius,* sic intellegi necesse esse: Hannibali Poenisque eandem, quae Maximo fuerit, gloriam fuisse, eamque perversam esse sententiam. Ita sane. Sed aliter ea verba interpretari licet. Iam Ruperti haec habet: „*gloria* est sextus casus“. Hoc enim dictum voluit Livius: Romae Fabium Maximum laudibus ad caelum ferebant. Par gloria is apud Hannibalem hostesque Poenos erat. Cf. 1, 9, 1 res Romana cuilibet finitimarum civitatum bello par erat, 9, 40, 9 paribus candore armis, 26, 19, 7 retulit famam vanitate parem.

Ib. *sentire* cdd. edd. *hi sentire* e coni. Harantii Rmn, Mlr. Verum ut *sentiebant* vel *senserunt* sine pronomine illo facile intellegi potuit (nimirum Hannibal hostesque Poeni), eodem iure inf. hist. *sentire* solum ponitur.

30, 9 *terribilem* Hz, Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *terribilem eam* cdd. edd. ante Hz, post Wbn, Tkg. *tum terribilem* Perizonius. Praeoccupatum suspicor *eam* ex eo, quod paulo post sequitur, *tandem eam.* Non ante mentio facta est de terribili quadam fama.

31, 2 *escensionem* P Als. Wbn, Hz, Mvg, Wln, Rmn, Tkg. *escensiones* P m. 2. CM Mlr. *exscensiones* Gron. Drak. *descensiones* edd. ante Gron. Non cogitatur hic nisi de prima in continentem escensione facienda.

31, 4 *et locorum ignari ab gnaris* scripsi. *ad locorum et ignari gnaris* PM (*gnaris* P. m. 2 expunxit). *id locorum et ignari* C. *et locorum ignari* edd. ante Gron. *ab locorum gnaris ignari* Gron. Drak. Bkr, Mvg 2, 3. *et ignari ab locorum gnaris* Als. FH, Wbn, Hz, Mvg 1, Wln, Tkg, Rmn, Mlr.

Scriptura tum Gronovii tum Alschefskii salebrosi aliquid habet, eo tamen haec praestat, quod *gnaris,* ut est in P, ultimum tenet locum et reliqua verba omnia retinentur; nam ad chiasmum aperte tendit oratio, ita ut *palantes et locorum ignari* media collocentur, ablativi, ut ita dicam, in cornibus; non tamen bene dicitur *palantes et ignari,* ubi non praecedit genitivus, ad quem hoc referatur, et vetat P *ignari* ante *locorum* poni. Adeo in P coniunctio tantum et praepositio locum mutaverunt *ab* in *ad* mutato. Testimonio etiam sunt edd. omnes veteres, quamvis hae uno membro mancae sint. Ut *palantes* antecedentem respicit ablativum *(frequentibus),* sic *locorum ignari* eum, qui post sequitur *(gnaris).* Est is ordo quasi status ac sollemnis.

31, 5 *cum Sempronio* Mlr, nempe *cum [iis] Sempronio. cum iis Sempronio* cdd. edd. (*his* edd. ante Als.). — Ib. *amissum* PC Gron. Drak. SD, Mlr. *amisso* cdd. et edd. rell.

Tollendum esse *iis* Douiatius, Doering, alii intellexerant, originem pronominis verisimilem indicavit Ruperti; facile enim fuit CUMTISEMPRONIO. Arrideat sane *cum Ti. Sempronio* scribere. Saepius in P *is* vel *iis* falso scriptum aut omnino fictum est, ut 24, 6, 5 eis pugnae is, 25, 12, 10 gaudebit iis, 25, 18, 10 hostiis, 25, 32, 2 ad is id, 26, 14, 4 partem is cum, 30, 17, 12 eis patres. Hoc autem, qui adest, loco, si praenomen usitatissimum

Semproniorum appositum erat, mutatio etiam magis in promptu fuit. Ceterum si cum quaestore praedatum missi erant, magis conveniebat dicere milites cum eo, quam eum cum militibus interisse. Cf. 10, 26, 12; 27, 11. Quid? quod mire sic narratur: cum multa caede, i. e. multis occisis, retro ad naves compulsos esse, tum vero ad mille hominum amissis classem ab litoribus solutam. Ubi vero de multa caede mentio facta est, numerum amissorum simul indicare decebat. Si denique *quaestore amissum* vera fuit scriptura, accommodatione vulgari *amisso* praeferebatur, minime vero contraria ratione mutare solebant.

31, 10 *territa iam clade civitas* P Al. Ald. Frob. Gron. Drak. Als. Wbn, Mvg 1, 2. Tkg. *civitas iam territa clade* 3. Asc. Mog. *civitas iam territa* 1. *territa tertia iam clade civitas* ex coni. Lentzii Wln, Mvg 3, Rmn, Mlr. Cf. 23, 33, 4 tertia victoria.

Ubi hic dicitur *territa iam clade* temporis respectu habito, satis per se intellegitur clades κατ' ἐξοχήν, quae ad Trasumennum tum maxime accepta erat, inter paucas memorata populi Romani clades (22, 7, 1). Licet vocetur a Floro (2, 6, 13) Trasumennus lacus tertium fulmen Hannibalis, tamen non est quod is numerus pugnae e longinquo petitus in orationem Livii inculcetur.

Ib. *eo decursum est* 1. 3. Asc. Al. Mog. Sob. Als. Wbn, Wln. *eodem cursum est* PC. *eo decursum esse* Ald. Gryn. Frob. Grut. Gron. Drak. Mvg, Rmn, Mlr.

Orationi obliquae, qua refert Livius, quae de Fabio dictatore Coelium et ceteros fugerint, mediam interponit adnotationem, ut declaret, qua condicione sive quo titulo re vera dictator is creatus sit. Sunt igitur indicativi *poterat* et *decursum est* in omnibus cdd. Mutavit ex libidine Ald.

31, 11 *qui pro dictatore creatus esset* Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *qui pro dictatore fuisset* Wbn, Hz, Mvg. *qui pro dictatore* PCM Drak. SD, Bkr, Als. Omis. 1. 3. Asc. Al. Mog. Ald. Sob. Gryn. Grut. — Ib. *fuisse dictator crederetur* Tkg, Rmn, Mlr. *dictator fuisse crederetur* Wln. *crederetur* C. m. 2. *caederetur* P. *cederetur* CM. *dictator crederetur* Bkr, Als. FH, Wbn, Hz, Mvg. *dictator diceretur* Drak. SD. *Dictator Prodictatore diceretur* 1. 3. Al. Gron. Crev. *dictator pro prodictatore diceretur* Asc. Mog. Ald. Sob. Gryn. Grut.

Transitus olim a describente aliquo factus est ab *dictatore cre* in id, quod paulo post sequebatur simile, *dictator cre,* omissis verbis interiacentibus.

32, 3 *abeundum fuisset* monente Madvigio scripsi. *abeundum timuisset* PC. Omnes vero edd. ante Als. hunc locum sic conformaverunt: *nisi tum fugae speciem abeundo timuisset.* Ante *fuisset* duplex forsitan fuerit scriptura *abeundo* et *abeundum,* ita ut ex *umfuisset* ortum sit *timuisset,* quod quidem verbum etiam liberiore mutatione substitui potuit ab eo, qui de timore quodam profectionem impediente cogitaret. Primus emendavit Mvg *abeundum ei fuisset,* quem sequuntur Wbn 1, Rmn, Mlr; reliqui recentiores (in quibus Wbn 6) cum Als. Puteaneum, *nisi* (*ni sibi* Wln) *cum fugae specie* (*speciem* P) *abeundum timuisset.* Quod ferri non posse docuit Mvg. Sed, quod ipse ante *fuisset* addit, *ei,* valde incertum et non necessarium esse videtur.

33, 12 *ad interregnum res rediit* edd. ante Als., item Mvg, Rmn. *ad interregnum rediit* PCM. *res ad int. rediit* Als. Wbn, Hz, Wln, Tkg, Mlr. Facilius *res* a verbo sequente *rediit* interceptum est quam propter praecedentem syllabam *re* (abdicare) praetermissum. Cf. 1, 22, 1. 8, 23, 17. Alter ordo verborum 4, 50, 8. 6, 5, 6. 7, 17, 10; 21, 2; 28, 9. 8, 17, 4. 9, 7, 14. Omnino quidem collocatio subiecti ex coniunctione cum proximis pendet.

34, 2 *et extrahere* PCM Drak. (suadente Gron.) Bkr, Als. FH, Wbn 1, Hz, Tkg. *etiam extr.* edd. ante Drak. *[et] extr.* Wbn 6, Mlr. *extrahere* Mvg, Wln, Rmn.

Terentium vulgus *et extrahere ad consulatum* nitebatur, i. e. etiam ad consulatum evehere et extollere, ex plebe extractum vel ad summum honorem omni ope atque opera producere. Usque eo processerat favor plebis.

34, 5 *pugnari* cdd. edd. *pugnari prospere* auctore Harantio Rmn, Mlr. Verum in hunc modum interpretandum: *pugnari posse,* h. e. posse effici pugnam, sc. qualis esse deberet (iustam pugnam); sufficere coniunctas quattuor legiones ad depugnandum cum hostibus. — Ib. *posse apparuisset* (ubi P *posset apparuisse*) correxit Carbach, quem iam secuta est Ald. Rursus *posse apparuisse* Sob. Gron. Drak. Als.

34, 8 *contemni patribus desierint* PCM Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg. *contemni a patribus des.* Mvg, Rmn, Mlr. *contemni desierint a patribus* edd. ante Als.

Paulo aliter cogitatur dativus: est enim *contemni patribus* idem fere atque contemptui esse patribus. Non tam actio quam status intellegitur, quod pro re nata vario modo exprimi potest. Cf. 1, 23, 10; 31, 4. 5, 6, 14; 12, 5; 38, 6; 46, 9. 8, 6, 3 et 4. 8, 16, 3; 20, 2; 24, 14. 9, 31, 16; 36, 1. 10, 11, 12. 21, 34, 9; 39, 1; 43, 4. 22, 14, 9. 23, 43, 6. 27, 26, 5. 28, 12, 12; 28, 10. 29, 18, 7. 33, 18, 1. 34, 58, 8. 35, 17, 8. 40, 26, 8; 31, 9. 42, 12, 5; 15, 8; 52, 3. 44, 14, 9; 26, 1; 27, 11. Tum nonnullis horum locorum tum aliis quibusdam iudices critici dativum improbantes *a* vel *ab* adiiciunt.

35, 2 *nobilibus iam familiarum plebei* PCM Grut. Gron. Crev. Drak. Als. Wbn, Hz, Mvg, Tkg. (*familiarium* PM Grut.). Sic etiam edd. ante Grut., in quibus tamen *familiaribus*. Crevierio magis placuit *nobilium*, quod recepit Wln, qui *iam* omisit. Coniecturam Freinshemii, *duobus nobilium iam familiarum plebeiis*, servant Rmn et Mlr. Quam non esse probandam ait Gron., „si memineris distinguere post *iam*, et hanc accipere sententiam: tres patricios petisse et duos iam quidem nobiles, quod vel ipsi vel maiores eorum sella curuli sedissent, familiarum tamen plebei, sive de plebe". Duo iam nobiles familiarum plebei, i. q. duo iam nobiles plebeii, cf. c. 34, 8. Ob eamque nobilitatem alterum pontificem, alterum augurem factum esse legimus.

35, 3 *fuerat et damnatione collegae et sua* cdd. edd. *fuerat, ex damn. collegae, ex qua* Harant. *fuerat, damn. coll., ex qua* Rmn. *fuerat ex damn. coll., ex qua* Mlr.

Novae mutationis, de qua non plane consentiunt, causam adfert Harant, quod sive iungatur *evadere damnatione prope sua* sive *ambustus damnatione prope sua*, aeque ridiculum sit. At non tam anguste haec intellegenda sunt; nam quasi per parenthesin apponitur illud *et sua prope*, ut in transitu moneatur, prope fuisse, ut Aemilius et ipse damnaretur; quo modo *prope* etiam post ponitur, ut 31, 24, 2 cursu prope Chalcidem contendit, 34, 33, 3 His dictis in vicem auditisque nox prope diremit colloquium, 33, 31, 3. Hoc narratur: Aemilius cum Livio consul fuerat et incendio alieni iudicii, quo collega damnatus est (nec multum afuit, quin et ipse damnaretur), ambustus sive semiustus evaserat. Eo igitur periculo evaserat (cf. 21, 33, 5), tamen ita, ut infamia aspergeretur. Non id potissimum erat dicendum, quam ob causam, vel, ut vult Harant, ex quo tempore plebei infestus fuisset Aemilius, sed hoc, infestum plebei fuisse ob eamque rem ad petitionem consulatus compulsum.

36, 7 *Caeretes* ex coniectura Crevierii et Gronovii Stroth, Als., Hz. *cae | des* P. *Caedis* vel *caedis* edd. vett. *Caediis* Wbn, FH, Tkg. *Caediciis* Wln, Rmn. *sudasse* Tauc. *sudasse et* Mvg 2, 3. *Caere* Mlr. e coni. Luterbachii.

Caere, urbs Etruriae, religionis cultu eximio notabilis fuit. Saepe prodigia ibi facta narrantur, ut 21, 62, 5. 27, 23, 3. 28, 11, 3. Item nuntiatum erat 22, 1, 10 aquas Caeretes sanguine mixtas fluxisse fontemque ipsum Herculis cruentis manasse respersum maculis. Qui quidem locus huic simillimus est, ubi itidem *Caeretes aquas* memorari haud perplexe indicant cdd. Sequitur hoc enuntiatum dissolute, ita ut *manasse* etiam ad ea, quae praecedunt, *multo cruore signa in Sabinis*, pertineat. Cf. 23, 31, 15 Signa Lanuvii cruore manavere lapidibusque pluvit, 28, 11, 4 ara Neptuni multo manasse sudore dicebatur, 40, 39, 9 manantia sanguine spolia. Itaque *sudasse* addere nullo modo opus est.

Ib. *fonte calido gelidas* Als. Wbn, Hz, Wln, Mvg 2, 3, Rmn, Tkg. *fonte callidos* P. *e fonte calidas* edd. ante Als. *fonte calido* Mvg 1. *in fonte calido* Mlr auctore Luterbachio.

Perscripto priore adiectivo oculus describentis ad sequens consimile aberravit, cuius ultima tantummodo littera adsumpta est. Quia teste Strabone (5, 2, 3) aquae Caeretes calidae erant, si *e* vel *in* fonte calido manaverant, id non pro prodigio habendum erat, habendum vero, si, cum fons calidus esset, gelidae manassent. Si *multo cruore* etiam ad alteram partem pertineret, moleste ferretur additum illud *fonte calido* (ante quod si *in* fuisset, non facile omissum esset), nec aptum erat *multo cruore* manantia signa in Sabinis et, quae alius generis erant, Caeretes aquas una praedicare. Manare quidem tum fons (22, 1, 10) vel aquae tum

signa dicebantur, cruore manare proprie cultri (1, 59, 1), arae, spolia, signa, similia.

37, 10 *regi* C edd. *regis* P. *regis legatis* e coni. Luchsii Mlr. Cum regis verbis dona, quae attulerant, dedissent legati, eiusque erga Romanos animi sensus uberius expressissent, dicere poterat Livius in narratione: responsum *regi* est, ubi redditur oblique responsum senatus, quod ipsum nimirum hoc fuerat: Vir bonus egregiusque socius Hiero est ctt. In qua separatione indirecte *Hieronem*, non *eum*, dicendum fuit. Differunt ab hoc exempla a Luchsio adlata. Nititur illius coniectura una falsa littera Puteanei, qui, ut monet Als. ad c. 7, 2 *caesas*, persaepe litteram *s* integris vocibus errore adiectum habet.

37, 13 *navium C classem* e coniectura J. F. Boettcheri Hertz. *navium classem* edd. edd. ante Als. ** *navium classem* Als. Wbn, Wln. *centum viginti navium classem* Mvg.

Qui numerus navium centum viginti c. 31, 1 a librariis omissus e Polybio apponitur, reducta Romam ea classe (c. 31, 6) non mansit. Narratur 21, 51, 6 M. Aemilio praetori, cuius Sicilia provincia erat, quinquaginta navium classem expletam esse, simulque Sexto Pomponio viginti quinque longas naves ad Viboniensem agrum maritimamque oram Italiae tuendam datas, quae forsitan cum illis postea coniunctae sint aliisque adauctae, ut navium centum classis iam fuerit. Hic autem numerus *C* ante *classis* facile excidit.

Ib. *erat* 1. Gron. Crev. Tauc. Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *erant* PC 3. Mog. Grut. Drak. Als. Wbn, Hz. Genuit pluralem sequens numerus pluralis.

38, 3 *ad decuriatum aut centuriatum* P Al. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Wbn, Wln, Tkg, Mlr. *ad decuriatum et centuriatum* 1. 3. Asc. Mog. *ad decuriandum aut centuriandum* Mvg, Rmn.

Quod dicit Mvg, „Si decuriatus aut centuriatus pro veris substantivis de militum in decurias centuriasque descriptione usitata fuissent, vix hoc uno loco reperirentur“, id etiam de vi passiva gerundiorum, quae substituit, moneri potest, utpote quae, si apud Livium usitata fuisset, vix hoc uno loco reperiretur. Auxit autem Livius numerum substantivorum verbalium in us exeuntium.

38, 4 *petendi* edd. edd. *repetendi* Wln, Rmn, Mlr. Monet Tkg de Ov. Met. 13, 122 Arma viri fortis medios mittantur in hostes: Inde iubete peti. Quo missa sunt tela, inde humi iacentia petuntur; ut mittantur, in manus sumuntur collecta quo loco servabantur. Ad utrumque ex ordine recedere licebat. „Quodnam inter haec duo *(teli sumendi aut petendi)* discrimen sit, plane nos fugit. Legemusne *repetendi?*“ Crev. „Aut substantivum excidit apud *petendi* aut cum Creverio scribendum *repetendi;* nimis enim putida est sumendi teli et petendi distinctio“, Mvg. At non isto modo ea distinxit Livius.

Ib. *aut hostis* edd. ante Drak., Rmn. *et aut hostis* PC Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg. *[et] aut hostis* Mvg, Mlr. Sunt quattuor exceptiones pariter positae.

38, 8 *ab urbe* M m. 2. Harl. alii, Als. FH, Hz, Wln, Tkg. *in urbe* PC. *ex urbe* edd. ante Als., item Wbn, Mvg. *urbe* C m. 2. („quam scripturam haud scio an Livius poni voluerit“, Als.) Rmn, Mlr.

Etiam nomina urbium Livius saepius quam posteriores scriptores cum praepositione coniungit (21, 9, 3 ab Roma legatos venisse, simil.); scripsisse autem eum aut alium quemquam *urbe proficisci* nullo certo exemplo docetur. Alius item in nominibus terrarum usus fuit argenteae aetatis, velut Curt. 10, 5, 12 Macedonia profecti, Tac. H. 5, 13 profecti Iudaea, Just. 37, 3, 4 regno profectus.

38, 9 *qui* auctore M. Hauptio Hz, Rmn. *quodne qui* PM Als. *quod neque* C. *[quodne] qui* Mvg 2, Wln, Wbn 6, Tkg. *quomodo quis* edd. ante Als. *quidem qui* Wbn 1. *quod denique* Mvg 1.

Verbum mirandi interdum cum enuntiato interrogativo coniungitur, ut 3, 40, 9. 21, 30, 2; 36, 3. 35, 46, 9. 38, 24, 10. *Qui* saepe est quomodo: 26, 3, 3. 30, 10, 3. 32, 21, 15. 39, 37, 2. 42, 50, 10. Haud raro *qui* illud minus intellectum mutationibus obnoxium fuit, quae diu manserunt (remanet in ed. Madvigii 26, 3, 3 *Quid*). Hoc, de quo nunc quaerimus, loco nimirum interpretandi causa olim appositum fuit *quomodo*, quo in versum recepto iam in ed. principe adverbium illud alterum in pronomen vertit. Quae suspensa manu adscripta erant interpretamenta, ea,

ut parum dilucida, a scribis facile perperam lecta sunt atque in peius versa, quo modo hic in edd. *quodne* exstitisse satis patet, nec id sane dignum, quod per omnia saecula legentium oculis monstruosum obferatur.

38, 13 *Et* e coni. Gron. Bkr, Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. *id* edd. Gron. Crev. Drak. Als. FH, Wbn 1, Hz, Tkg. *Eum* edd. ante Gron. *cum* Asc. Mog. „Magis placeret *Et sua sponte*, ut respondeat alteri particulae *et*, quae sequitur: *et quo id const. pers.*“, Crev. Eadem sententia Ascensio et Carbachio obversata est. Codices aliud suadent.

39, 2 *fideque* e coni. Perizonii Hz, Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. *fide* edd. edd. rell. Ante *ue (uestra)* facile *que* praetermissum est. Monet Perizonius de his exemplis: 25, 7, 4. 29, 10, 5. 33, 31, 5. 38, 8, 5.

39, 3 *claudet res publica* P (*reip.* P) Fabri, Als. Wbn, Hz, Tkg. *claudente re publica* e coni. Ussingii Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *claudicet resp.* edd. rell. varia interpunctione (. *Si alt. p. claudicet res p., malis* ctt. Rup. Tauc.). Hocce verbum claudendi etiam tertiae coniug. esse iam docuit ad hunc locum Gronovius exemplis, qualia sunt Sall. Hist. 3, 61, 25 neque ignorantia res claudit, Plin. N. H. 18, 330 clodunt (pecudes) lippiuntve. De oratione bimembri dissoluta vide supra ad 18, 10. Quod est in PC *reip.*, hoc nihil ad rem, nam vulgares sunt errores in iis verbis, quae per compendium vulgo scribebantur.

Quae nova ultro importata est scriptura *claudente rep.* ne idonea quidem esse videtur, quia reipublicae altera parte claudicatio non bene subiicitur sequenti enuntiato, quo verborum, quae imagine exprimuntur, ipsa vis explicatur. Cur mala consilia iusto plus valerent, mira sane causa adferretur ea, quod clauderet respublica.

39, 4 *maneat te* Mvg. *maneat et* PC 1. 3. rell. *maneat* Dan. Heinsius ap. Elzevir. Gron. Drak. *maneat te, et* Wln, Wbn 6, Tkg. *maneat te, cum tu* Rmn, Mlr.

Quam facile *maneat te* in *maneat et* abierit, perspicuum est. Cf. Sil. It. 8, 301 te proelia diri, Teque hostis castris gravior manet. Utique *et* hic non ferendum esse, ubi nihil addatur, iam intellexit Heinsius; festinantiorque explanatio melius dempta con-

iunctione sequitur, qua de re vide ad 18, 10 exempla adlata. Quod denique codices praebuerant *et*, id in *te*, ut par erat, restitutum *maneat* sibi vindicavit; nec ad enuntiationem explicatricem adnectendam opus est denuo addere *cum tu*. Haec vero ubi maxime exspectabatur, Madvig orationem abrumpit et seriem indicativorum inserit *(maneat te. Cum illo — — certaturus es ctt.)* secutus edd. antiquas inde ab Mog. et Ald. usque ad Bekkerum.

39, 17 *Servilius* Rmn monente Luchsio. *P. Servilius* edd. edd. ante Asc. *Cn. Servilius* Asc. rell. Si *Cn.* scriptum fuisset, id non in *P.* mutatum esset. Non magis hic quam c. 43, 8 praenomine opus est.

39, 18 *satis firmus si steteris* scripsi. *si satis firmus stet.* edd. vett. FH, Wbn 6, Tkg. *satis si firmus stet.* C corr. Als. Wbn 1, Hz. P omisit *si*, Madvig, quem sequuntur Wln, Rmn, Mlr, ante *adversus* addidit, ut esset anaphora. Est autem, quod sequitur, *si te — moverit*, explanatio enuntiati praecedentis, vid. ad 18, 10, et ante *steterit* facile *si* elisum est. Fit ut, ubi ob aliquam litterarum similitudinem coniunctio posteriore loco omissa est atque in fidelioribus libris prorsus desideratur, in aliis plerumque ad initium enuntiati, ubi omittendi nulla causa fuisset, addita inveniatur. Cuius rei ut exempla adferam, Caesarem scripsisse puto b. G. 5, 47 ex hibernis fugae *si* similem profectionem fecisset. In simili re coniicere etiam licet ibm 7, 63 Petunt a Vercingetorige Aedui, ad se *ut* veniat, 2, 1 partim qui, Germanos diutius *ut* in Gallia versari noluerant ctt.

39, 19 *Gloriam* edd. edd. *vanam gloriam* Mvg 2, Wln. (iidem c. 24, 14 *vanam* famam). Madvig ad Muretum auctorem relegat, de quo Gebhardus: „Muretus probat *Gloriam vanam qui spreverit.* Falso: nam *vanam* irrepsit a liberalitate glossatorum.“ Hic sensus est: Qui gloriam, quae saepe falsa est, non cupierit, opportuniorem aliquando ac veram habebit. Cf. 2, 47, 11.

39, 21 *suadeo,* quod coniecit Mvg, propter sequentia facilius omissum est quam, quod voluerat Petrarca, *moneo;* deest in edd. et edd. ante Sigonium.

40, 3 *at si* 1. 3. rell. etiam FH, Hz, Wbn, Tkg. *et si* PC Als. *sed si* Mvg, Wln, Rmn, Mlr. Non propius accedit ad si-

militudinem codicum *sed* quam *at*, nec sine causa interrumpatur usucapio.

40, 4 *turba conspectior cum dignitates deessent* PCM Fabri, Als. sqq. *turba quam dignitate conspectior* edd. ante Fabrium. *turba consp. cum dignitas deesset* Mvg, Rmn.

Ut nomen, quale traditum est, tenendum, sic non pro concreto („Personen, die durch Verdienste oder Rang ausgezeichnet waren, Notabilitäten", Fabri), sed pro abstracto accipiendum esse censeo: sunt igitur dignitates variae species dignitatis vel virtutibus vel honoribus debitae. Cf. 1, 13, 7 dignitatibus suis virorumve lectae mulieres, 5, 25, 3 Ab horum (principum senatus) aetatibus dignitatibusque et honoribus violandis abstinebatur. 22, 13, 1 accensum indignitatibus. Caes. b. G. 2, 14 indignitates contumeliasque perferre. Cic. Tusc. 5, 36 levitates contemnit, Off. 3, 32 omnes ignominiae, ib. 1, 22, 78 domesticae fortitudines. Amm. 30, 8, 10 dignitatum apices maximi licere sibi cuncta existimant. — Ib. *ad hostem,* vide supra ad c. 4, 2.

42, 2 *Tum* PC, monente Luchsio Mvg 3, Mlr. *Iam* 1. 3. Al. Mog. rell. *iam* in P scriptum esse falso testatur Alschefski. Accuratissime inspecto codice illo Wahlund numquam ibi fuisse *iam* adfirmat, nec primam litteram T ullo modo mutatam, in altera autem U paulo nigriorem conspici lineam transversam superne ductam, quasi ut sit A, sed non forma huius litterae usitata.

42, 6 *qua vergant* e coni. Gebhardi Als. Wbn 1. *quae vergant* PCM 1. 3. Asc. Mog. *quae vergat* Al. Ald. Sob. Grut. Gron. Drak. FH, Hz, Mvg, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr. Ad quam lectionem defendendam Heerwagen duos locos adfert, 27, 26, 7 Romani, qualis pars eius (tumuli), quae vergeret ad hostium castra, esset, ignorabant, 27, 42, 10 Hannibal tertia vigilia crebris ignibus tabernaculisque, quae pars castrorum ad hostes vergebat, et Numidis paucis relictis profectus Apuliam petere intendit. Quorum exemplorum ratio alia est. Scribere certe Livius in hunc modum potuit: ignibus tabernaculisque in parte castrorum, qua vergebant ad hostes, quemadmodum 30, 19, 6 Haec terra marique in parte Italiae, qua iacet ad Alpis, gesta; quod bene interpretatur Wbn: „auf einer Seite Italiens, nämlich da, wo" (*qua* P Wbn, Hz; *quae* Mvg, Luchs). Sic eo, de quo disputamus, loco specu-

latus omnia renuntiat Statilius, ignes in parte castrorum relictos, nempe qua vergant ad hostem castra Poenorum. Id igitur differt ab hoc: in ea parte castrorum, quae vergat ad hostem. Cum in codicum scriptura aut *quae* in *qua* aut *vergant* in *vergat* mutandum sit, eo magis ad illud confugiamus, quo frequentiora in edd. exempla sunt mutati aliquo modo adverbii illius *qua,* quod idem valet atque ubi vel qua parte vel ab ea parte qua (*qua parte* 29, 7, 5, cf. *qua* 31, 23, 4, *ea* 24, 46, 1. 37, 32, 2). Nam pro re nata modo in casum aliquem pronominis relativi, modo in *quia* vertitur. Notabilis est in eo vocabulo discrepantia codicum his locis; 1, 28, 10 qua inhaeserant, 1, 38, 6 qua munierat, 1, 44, 4 qua murum ducturi erant, 3, 3, 7 qua venturum sciebant, 4, 59, 5 qua nullum erat praesidium, 5, 43, 2 qua signa ferri videbant, 22, 2, 2 qua fluvius inundaverat, 22, 15, 12 et 27, 43, 10 qua ducturus erat, 28, 1, 3 qua in orientem vergit. Saepe iuxta verbum vergendi, cuius rei adest exemplum, hoc adverbium invenitur: v. c. Curt. 4, 31, 19 At *qua* vergit ad occidentem alii Aethiopes colunt, Nep. Cim. 2, 5 arx *qua* ad meridiem vergit. Et hic multi voluerunt *quae,* et pari modo *quo* Nep. Milt. 3, 1 Pontem fecit in Histro flumine, *qua* copias traduceret. Haec, quae adlata sunt, validissime favent in his, quae sequuntur, illi lectioni: 1, 23, 5 Ducit *qua* proxime ad hostem potest, 2, 31, 2 Equitatu immisso mediam turbaverat hostium aciem, *qua,* dum se cornua latius pandunt, parum apte introrsum ordinibus aciem firmaverat. Sinistre acceptum idem *qua* alios alibi effecit errores. Si, ut docuit Woelfflin, scripsit Livius 22, 2, 2 propiorem viam per paludes petit, qua fluvius Arnus — inundaverat, ii, qui ex solito pronomen *qua* esse putarunt (nonnulli vero in *quam* mutaverunt), hac prava opinione facile adducti sunt, ut *paludem* scriberent.

Ib. *ad hostem* Als. sqq. *ad in hostem* P. *in hostem* edd. ante Als. Vide supra ad c. 4, 2.

43, 9 *maioris* edd. edd. *ex maioris* auctore Luchsio Rmn. Hic vero non id solum dicendum erat, consensu (ex voluntate, ex voto) maioris partis factam esse profectionem, sed etiam maioris partis sententiam causam fuisse proficiscendi, cum Varroni fere omnes, Paulo nemo praeter Servilium adsentiretur.

43, 11 *effuso* cdd. edd. *offuso* e coni. Walchii Bkr, Mvg, Rmn, Mlr. Cum Romani adverso Volturno vento nubes pulveris vehente pulvere occaecati dicuntur, non opus est ita mutare, ut diserte dicatur, eum pulverem oculis eorum offusum fuisse: nimirum turbine excitatus effuseque volitans, quo ventus ferebat, volvebatur.

44, 5 *Paulo* auctore Wesenbergio addiderunt Mvg, Rmn, Mlr, scilicet ne hiulca esset oratio; potuitque id nomen post satis simile excidere. Non tamen aeque necesse est in § 7, ubi constant contraria, cum Gronovio *tam* ante *prompta* addere, ut facit etiamnunc Mvg.

45, 4 *indignum* cdd. edd. *adeo indignum* Wln, Mvg, Rmn, Mlr.

Adfert Woelfflin (Livian. Krit. p. 27) tres locos, ubi praecedente *adeo* sequitur *ut,* atque id ei satis causae esse videtur, cur *adeo* hoc loco sit inserendum. Alia quoque correlativa (sic, tam, tantus cet.) inveniuntur, sed nihilo minus verum est vel nullo antecedente correlativo simpliciter *ut* interdum poni pro eo, quod est adeo ut, ita quidem ut: 2, 18, 8 postquam praeferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, ut intentiores essent ad dicto parendum, 10, 11, 3 Romae cum desiderio viri tum incommoditate temporis tristis nuntius fuit, ut patres ab iubendo dictatore consulis subrogandi comitia deterruerint, 10, 18, 5 eo magis profectum est, quod mature ventum erat, ut quosdam spectantes iam arma Etruriae populos metus Romani nominis comprimeret, quam quod ductu consulis quicquam ibi satis scite gestum sit. (Effectus maturi adventus per epexegesin adiicitur enuntiato praecedenti.) Similiter apud alios scriptores: Caes. b. G. 2, 27 ut — iudicari deberet, 6, 43 ut — naturam studio vincerent, 7, 19 ut — existimaret. Nep. Milt. 8, 4 ut nemo tam humilis esset, Dion 1, 5 ut neminem magis sint admirati, Att. 10, 5 ut appareret cet. Sall. Iug. 14, 11 ut ubivis tutius quam in meo regno essem.

Ut eo loco, de quo disputo, *adeo* desiderant, sic 10, 18, 5 olim falso nonnulli *adeo mature* scripserunt, quem locum vulgo male interpretantur. Gronovio nisus Madvig 10, 11, 3 sublato *ut* ante *patres* pro *deterruerint* restitutum appellat *deterruerunt.*

Firmissima autem ibi sunt ut ab usu loquendi sic a codicibus et coniunctio illa et coniunctivus.

45, 5 *cui* P Asc. Al. Ald. Sob. Gryn. Frob. rell. *cuius* 1. 3. Mog. Rmn, Mlr. Varroni sors imperii eius diei erat, i. q. Varronis dies imperii erat (4, 46, 5). Cf. 42, 28, 6 uni sors integra esset.

46, 4 *Afros* edd. *afro* P. *afri* P m. 2. C. *Afrorum* Rmn, qui monet 22, 21, 3 *socios romanorum* in P esse pro eo, quod necessarium est, sociorum romanorum. Syllaba *rum* ante *rom* omissa accesserunt commutationes. Scriptio *Afros* ei, qui P exaravit, prorsus ignota fuit. Itaque coniectura Riemanni, quae iam Alschefskio in mentem venerat, valde probabilis est. Ceterum adiectivum compositum *Afroromanus* forsitan non absonum sit, ut quod cum P plane conveniat.

46, 4 *crederes* Wln, Wbn 6, Mvg 3, Mlr, nempe *[magna ex parte] crederes. magna ex parte crederes* P edd. ante Wln. Antecapta verba hic, ut alibi saepe, paulo post suo loco iterantur.

46, 5 *mucronibus* edd. *mucronibus ant* P. *mucronibus erant* coniectura Harantii. A ceteris litterae *ant* ad sequentia tractae magnam iam apud primos editores turbationem effecerunt. Suspicor tamen olim correctorem aliquem ex praecedenti *erant* ad finem longioris sententiae repetitum voluisse, a cuius manu mancum permanserit. Sic igitur censeo, aut *erant* scribendum aut reliquias verbi inutilis prorsus esse spernendas.

Ib. *Et alius* P Harant. Huc autem suspectis illis litteris *ant* relatis *Sane et alius* e coni. Gronovii habent Als. Wbn, FH, Tkg, *Ante alios* Mvg, Wln, Rmn, Mlr. Longius aberrarunt edd. vett.

46, 6 *stetere* edd. ante Gron. (et quidem falsis verbis immixtum), monente Luchsio Rmn, Mlr. *steterent* P. *steterunt* Gron. rell. Cf. 1, 2 videre.

47, 5 *obliqua* e coni. Lipsii Mvg, Wln, Wbn 6, Rmn, Mlr. *aequa* Grut. Gron. Drak. Als. FH, Tkg. Confuso hoc verbo cum illo quod praecedit, *conisi* in P legitur *consiliae* | *qua,* m. 2. *consilio qua,* atque in 1. Asc. Al. Frob. Gryn. *consilio agitabant qua.* Produnt autem litterae *li* et in edd. *lio* (pro obli) verum vocabulum, quod in P exeunte versu dilapsum est.

47, 9 *et adversus* PC Als. FH, Wbn 1, Hz, Wln, Tkg. *etiam adversus* edd. ante Als. *[et] adversus* Wbn 6, Mlr. *adversus* Mvg, Rmn. A Madvigio tantummodo ad Crevierium delegamur, cuius haec est ad *etiam adversus* adnotatio: Melius *iam adversus.*

49, 3 *denuntianti* cdd. edd. *renuntianti* Mvg ex levi coniectura Gronovii. Vid. Wbn, Wln, Tkg.

49, 10 *victor hostis* P, monente Luchsio Mvg 3, Mlr. *hostis victor* 1. 3. Asc. Al. Mog. rell., quam scripturam esse Puteanei falso testatur Alschefski. — Ib. *advenit* P Als. Wbn, Mvg, rell. *adveniat* edd. ante Als. — Ib. *Aemilium* P 1. 3. Al. Asc. Als. Wbn, Wln, Mlr, Tkg. *L. Aemilium* Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. Mvg.

49, 15 *e tanta multitudine par prope* scripsi. *e tanta prope* P. *et tanta prope* edd. *et tantadem prope* e recentiore coniectura Madvigii Mlr.

Quam ingens clades fuerit, commemorans (summatim vero 22, 60, 14 comprehendit *quinquaginta milia civium sociorumque*), ex eo utique intellegi posse, ait Livius, permagnam fuisse caedem ipsorum civium Romanorum, quod e tanta multitudine pugnantium, cum socii multo plures essent, par prope civium sociorumque pars occisa sit. Duo verba excidisse non magis hic mirum videatur quam multis aliis locis, qui nisi plura supplendo sanari non possunt. Omnes *e* in *et* mutant, etsi, ut ad priorem coniecturam *(rata prope)* monet Madvig, offendit *et* sic additum, tamquam aliquid novi adiungatur. Mire atque insolenter sonat istud *tantadem,* quod auctor ipse interpretatur „eadem, v. c. tertia aut quarta, civium pars atque sociorum". Quod coniecerat Gronovius, *et aequa prope,* nemini placuisse videtur, quamvis plerique in lectione vulgata haesitaverint.

50, 12 *quem* edd. ante Gron., item Crev. Rup. Bkr, Tauc. Mvg. *quod* P Gron. Drak. Als. *quos* e coni. Baueri et Vossii FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. Impetum animorum, non animos ingenium suum cuique aut fors dabat. *quod ingenium* vulgari accommodatione scriptum a minus intellegente, qui modo ad proxime sequentia animum attenderet.

51, 5 *insistunt* cdd. edd. *exeunt* Mvg, Rmn. Puteanei scriptura, *spectanda in strage insistunt,* frustra urgetur. Sensus

hic est: ad spolia legenda animos intendunt, curam vertunt, mentem dirigunt. Ad has locutiones revocata codicum lectio iniuste iudicari vix potest. Cf. 37, 60, 2 Cogitanti Q. Fabio, cui rei potissimum insisteret cet. Caes. b. G. 6, 5 totus et mente et animo in bellum Treverorum insistit. Sall. Hist. 3, 64 Locum nullum nisi quo armati institissent ipsis tutum fore. Reprehenditur quodammodo spolia legere ante omnia Hannibali curae fuisse quo ipso tempore Romam statim iter eum facturum fuisse opinandum erat. Itaque insistendi verbum significans est, languens quod coniicitur.

51, 9 *subtractus* PC 1. 3. Al. Als. FH, Hz, Tkg, Rmn, Mlr. *subractus* M. *substractus* Asc. Sob. *substratus* Mog. Ald. Gryn. Frob. Grut. Gron. Crev. Drak. Bkr, Wbn, Mvg, Wln. Cum Poeni suum militem etiamtum vivum protraxissent, qua conspectus est deformitate, omnium ad se convertit oculos.

Ib. *Romanus in rabiem* Rmn. *in rabiem* cdd. edd. Monuit primus Harant, si idem utrimque subiectum sit, legem sermonis non sinere alium hominem ad verbum *convertit,* alium ad *exspirasset* intellegi, ac post *versa* (*versas* P, *versus* edd. vett.) pro altero subiecto *is* addidit; Mueller autem alio loco *ille,* nempe *cum ille, manibus* cet. Nemo animadvertit in P folium verbo *inutilibus* terminari, sequens initium capere ab *in rabiem;* ibi vero alterum nomen in *us* desinens facile intercidit, quamobrem Riemannum verum invenisse arbitror. Nonnumquam in foliis mutandis maior iactura facta, quo modo in P 28, 11, 2 omissa sunt haec: *Matutae de caelo tactam, Satri.* Ceterum pronomen *is* vel *ille* vix sufficit.

54, 6 *etsi* PC edd. ante Gryn., denuo Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Rmn, Mlr. *si* Gryn. Grut. Gron. Drak. Mvg. — Ib. antecedit *se certe* Gryn. rell. *secernei* P. *secerni* P m. 2. *secreti* 1. 3. Asc. Al. *se tueri* Mog. Sob.

54, 11 *Compares* P m. 2. CM Bkr, FH, Wbn, Hz, Mvg 1, Wln, Tkg. *comparesset* P. *Comparem* edd. ante Bkr. *Compares aut* Als. Rmn, Mlr. *Compares licet* Harant. *Compares scilicet* Mvg 2, 3.

Ubi erat *esset compares,* in P exstitit *esset comparesset,* facili scilicet repetitione unius syllabae, quae quidem tanta vexatione

ac molestia digna non erat. Praeterea, si ponitur *aut*, in duas Carthaginiensium clades concluditur comparatio.

Ib. *inde* Als. FH, Hz, Wln, Wbn 6, Tkg. *in* PC. *[in]* Wbn 1. *hinc* edd. ante Als. *et* Mvg, Rmn, Mlr.

In cdd. saepe *in* scriptum est pro *inde* (ut infra c. 57, 9 *in dictator* P), non item *et*. P habet *uectigallis* consona, ut fit, duplicata, e quo Mvg fingit *vecti Gallis* atque ob hunc suum dativum *invecti* factum esse contendit pro eo, quod scriptum fuisse vult, *et vecti*. Particula *inde* Livius interdum sic utitur, ut nexum rerum et causam significet: 5, 20, 7 Licinius invisam semper eam pecuniam fore aiebat causasque criminum ad plebem, seditionum inde ac legum novarum praebituram. 25, 15, 16 seditio inde paulisper tenuit. 25, 35, 7 id modo esse salutare credebat, cedere inde, quantum posset; et inde una nocte aliquantum emensus est iter. Sic P, sed *et una nocte* auctore Gronovio probaverunt Wbn et Mvg.

55, 3 *et per* 1. Als. FH, Wbn, Hz, Rmn, Tkg. *et paene* P. *[et] per* Wln, Mlr. *per* 3. Asc. Al. Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. Mvg. Non frustra PC *et* habent, est enim i. q. idque, vel et quidem. Cf. 1, 17, 7 regem et ab ipsis creatum passuri, 4, 55, 3 tres erant et omnes acerrimi viri, 9, 32, 8 proelium multos utrimque et fortissimum quemque absumit. Cf. supra ad 1, 19.

55, 7 *suae* cdd. edd. *ut suae* Rmn. Ad mitigandum, quod de nuntiis severe iussum erat, per parenthesin subiicitur illud *suae ... exspectent.*

55, 8 *egredi urbe* Mvg 2, Rmn, Mlr. *egredi urbem* P edd. Vid. Epilegomena mea ad 1, 29, 6.

Ib. *certe tumultus* scripsi. *recte tumultus* PCM Als. FH, Wbn 1, Hz. *[recte] tumultus* Wln, Wbn 6, Tkg, Mlr. *tumultus* Mvg, Rmn. *tumultus, recte* 1. 3. Asc. rell. ante Als.

Sententia haec est: Ubi strepere saltem desierit turba discursantium, tum in curiam patres revocandos. Haec refert ex Lambino Handii Tursellinus (II, p. 18): „si *certe* pro *saltem* ponitur, posteriore loco semper poni solet“. Cf. Liv. 2, 1, 2 conditores partium certe urbis, 9, 11, 13 Et illi quidem, forsitan et publica, sua certe liberata fide redierunt, 22, 54, 6 moenibus se certe, etsi non armis, ab hoste videbantur defensuri.

Metathesin litterarum etiam in P minime insolitam esse iam supra (9, 2) monui; quo modo vel ternae vel binae litterae transponuntur: mutavit ibi scriba *domo* in *modo* (21, 21, 5), contra *modo* vel *modum* in *domo, domum* (30, 12, 17. 27, 16, 8), *raptim* in *partim* (23, 36, 6. 29, 28, 9), *nimis* in *minis* vel *minus* et vice versa (vide supra ad 9, 2), *romae* in *morae* (25, 36, 14), *formae* in *romae* (22, 46, 5), *cortonenses* in *crotonenses* (22, 4, 2), *latera* in *altera* (22, 28, 14), *exspectari* in *exceptari* (de hoc et similibus vide supra ad 4, 4), *remigum* in *regimum* (26, 35, 1), *abnuenti* in *abeunti* (27, 4, 1), *agnum* in *agmon* (27, 4, 11), *excluderent* in *exducerent* (24, 1, 4), *greges* in *egres* (24, 3, 5), *receptus* in *dereptus* (29, 34, 15), *excepisset* in *expetisset* (30, 18, 9).

Quae cum ita sint, non est quod miremur, si hoc, qui adest, loco *certe* in *recte* mutatum est.

57, 3 *pontificis* P 1. Gron. Drak. rell. *pontificum* 3. Asc. Al. Mog. Sob. Frob. Grut. *pontificius* Rmn. Licet hoc inveniatur apud Priscianum, nominis mutandi ea causa non est quae sufficiat.

57, 6 *terram* auctore Dukero Mvg, Wbn 6, Rmn, Mlr. *terra* P edd. ante Mvg, item Wln, Tkg. Cf. 8, 15, 8 viva sub terram defossa.

57, 11 *aliam formam* PC (*alia* P) edd. *formam* suadente Luchsio Mlr. Censet Luchs *aliam* expungendum esse, quia de novi cuiusdam dilectus forma antea nihil commemoretur. Sunt tamen aliter ea verba intellegenda: Inopia liberorum capitum ac necessitas dedit aliam formam dilectus, formam novi dilectus. Est igitur epexegesis.

59, 1 *Iuni vosque* e coni. Harantii Tkg, Rmn, Mvg 3, Mlr. *iuniusq.* P. *Iunius* edd. ante Harantium. Quam facile *iuniuosq.* in *iuniusq.* confluxerit, apparet.

59, 9 *fuerunt* e coni. Alschefskii ab ipso dimissa Mvg. *refugerunt* cdd. edd. *fuere* Mlr. Origo erroris apertissima est: ex eo enim, quod paulo post sequitur, *relicti* prima syllaba, ut fit, antecapta (velut c. 60, 15 *desero nunc desideratis* P) *refuerunt* in *refugerunt* conformatum est. Aliam formam induit mutatus exitus verbi, de quo cogitavit Mueller. Litterae alieno verbo appositae huius saepe conferunt mutationem non solum apud anti-

quos scribas, sed nonnumquam etiam apud nostri temporis criticos, cuius rei iam proxime sequitur exemplum.

59, 10 *in nobis* P scr. corr. edd. ante Als. Mvg 3, Mlr. *in nobisme* P scr. pr. *in nobismet* Als. FH, Wbn, Hz, Mvg 1, 2, Wln, Tkg, Rmn. Inciderat oculus librarii in vicinum illud *nobis merito,* e quo sumptis duabus litteris superfluis manui moderabatur. Idem fere error § 14 *qui uos hospitum* P Als., ubi antecedit in P *quin nos hosti (quin* pro *cui).* Edd. ante Als. *qui nos hospitum,* quo loco prorsus tollendum est pronomen, minime suadente Harantio *suos* scribendum.

59, 17 *Si* C edd. ante Als., Mvg. *se si* P. *Sed si* Als. FH, Wbn, Hz, Tkg, Rmn, Mlr. In P esse post *se* parvam lacunam (non rasuram) adnotavi; *set* voluit altera manus, scilicet ne vanum exstaret, quod reliquerat librarius. Nec cum nexu sententiarum convenit ea particula.

Ib. *vobis* Rmn. *[a] vobis* Mvg, Wln, Wbn 6, Tkg, Mlr. *a vobis* P edd., tamen mutato ordine *ut a vobis redimeremur* 1. 3. Asc. Mog. Ald. (non Al. Sob.) Gryn. Frob. rell. ante Als. (*a nobis* 1.). Ab iis, qui *vobis* ad praecedens verbum referrent, et praepositione ornatum et loco motum. — Ib. *visi simus* Asc. Bkr, FH, Wbn sqq. *visi sumus* P 1. 3. Al. Mog. Ald. rell.

60, 5 *videatur* P Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg. *videbatur* C edd. ante Als., post Mvg, Rmn, Mlr. *uideuatur* in P altera manus voluisse videtur. Legentium plerisque (cf. Praef. 4) nimis durae severitatis fuisse Manlium visum iri Livius opinatur. Non autem plerisque eorum, ad quos orationem habebat, nimis severa sententia eius *videbatur,* quippe qui orationi asperae convenienter triste illud responsum redderent.

60, 7 *praeferrique* cdd. edd. *praeferrique se* auctore Wesenbergio Mvg 2, Rmn. Quam coniecturam Mvg 3 reliquit.

60, 15 *Liberi* Gryn. sqq. ante Als., post FH, Mvg, Wln, Rmn, Mlr. *Et liberi* edd. ante Gryn., post Als. Wbn, Hz, Tkg. Differt hoc exemplum *et* additivi ab eo, quod confert Wbn, 5, 52, 8. Repetitur *et* post verbum in *et* exiens *(faciet et),* nec magis hic retinendum quam paulo post § 18, ubi P *desideret et quorum.* — Ib. *abalienati* cdd. edd. *abalienato* Mvg, Rmn. *abalienati iure,* i. e. privati. Ubi alia est vis huius verbi, aliter

construitur. Si *abalienato iure* Livius scripsisset, nulla mutandi causa fuisset. Nullo exemplo docuit Madvig *abalienatum ius civium* dici.

60, 17 *Quam* cdd. edd. ante Mvg. *Quamquam* Mvg 1, 2, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn. *Quamquam quid* Mvg 3, Mlr. Est interrogatio incitatior cum indignatione, ubi proprie *Quid* exspectandum erat, pro quo attractione quadam legitur *Quam ego ignaviam istorum accuso?* Attrahuntur pronomina ad sequens substantivum: 1, 45, 3 Romae fanum Dianae — fecerunt. Ea erat confessio cet. 22, 6, 3 consul en hic est — iam ego hanc victimam manibus peremptorum civium dabo. 2, 10, 2 ni unus vir fuisset, Horatius Cocles: id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit. 7, 20, 5 ne appellarent consilium, quae vis ac necessitas appellanda esset.

Dicit Madvig (Em. p. 310) Ussingium vidisse, non recte interrogari posse, quae ignavia accusaretur. Isto autem modo nemo umquam interpres hoc dictum accepit, sed omnes ita reddiderunt, ut si fuisset *Quid* ego ignaviam cet. („Doch was klage ich Diejenigen der Feigheit an, welche ich eines Verbrechens anklagen kann"? Klaiber.) Praeterea, cum quis se ipsum corrigens *quamquam* usurpat, sequi solet interrogatio, quamobrem monente tandem Weissenbornio, *quamquam quid* hic exspectandum fuisse, id denique arripuit Madvig a codicibus longius aberrant.

60, 19 *his sescentis hostes* Wbn 1, Mvg, Wln, Mlr. *hiis sescenta milia hostes* P. *iis sexcenta millia hostium* 1. 3. Mog. FH. *his sescentis tot milia hostium* Hz, Wbn 6, Tkg. *iis quadraginta millia hostium* Al. Gron. Drak. Immotus stat nominativus *hostes,* certus est numerus erumpentium, qui ab initio notis scriptus facile mutationes subiit; de hostium vero numero nihil utique statuendum.

60, 21 *fuisse, qui erumpentibus* 1. 3. Asc. Al. Mog. Sob. Gryn. Frob. Grut. *fuisse, ut erumpentibus* P Gron. Drak. SD, Bkr, Als. FH, Hz. *fuisse, ut qui erump.* coniecit Schottus. *fuisse tum erump.* Wbn 1. *fuisse usui erump.* Wbn 6, Tkg. *aut favisse erump.* Mvg, Wln, Rmn, Mlr. — Ib. *ne erumperent* coniecit Schottus. *qui nec rumperent* P scr. pr. (ubi *nec* errore pro *ne e*). *qui nec erump.* P scr. corr. CM. *qui, ne erumperent* Wbn, Mvg,

Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *quin erumperent* edd. ante Wbn. — Ib. *conati sint* 1. 3. Asc. Al. Mog. Gryn. Lipsius. *conati sunt* P Frob. Grut. Gron. Drak. rell. P saepius sic errat, ut c. 59, 17 *visi sumus.*

Desperata scriptura *ut — conati sunt* (quod interpretabantur „cum conati sunt"), quid sit pro eo, quod est *ut,* scribendum, quaeritur. Respondet iam diu Schottus: „Quid si legas, translatis tantummodo verbis, *ut qui erumpentibus, ne erumperent*" cet. Antiquissimi autem editores *qui* solum tenuerunt, quod quidem commodius est ac probabilius; cuius forsitan reliquum sit priore loco *ut* pro *ui.* De reliquo, ut verbis utar Madvigii (Em. p. 311), „aliorum conatus omitto, quorum vix quisquam sibi ipse satisfecit"; namque hoc etiam post ipsius „certissimam medicinam", quam vocat, dicere posse mihi videor.

In hunc modum locuti erant captivi: Eos, qui Sempronium ducem secuti essent, nisi pernicitatis pedum et cursus aliquod praemium esset, sibi non esse praeferendos, nec in iis plus quam in se praesidii fuisse rei publicae; commilitonum condicioni fortunaeque se non invidere; et illis bonis ac fortibus militibus usuros esse Romanos et semet ipsis etiam promptioribus pro patria, quod beneficio eorum redempti essent (c. 59, 10). Ad hoc Manlius ironice respondet: Non modo fortes, sed ne bonos quidem fidelesque cives eos esse posse: bonos enim fidelesque nec fuisse, qui cum Sempronio erumpentibus, ne erumperent, obsistere conati essent, nec futuros esse in posterum, cum fieri non posset, quin ipsi contumelia adfecti eos, quos fortitudine sua incolumes atque honestatos viderent, invidia odioque persequerentur. De favore ullo, quem erumpentibus praestiterint in castris manentes, nullo modo agitur. Patet igitur scripturam, qualis tradita est, nisi torqueatur, nullam fere habere difficultatem.

60, 25 *in castra* auctore Luchsio Mlr. *cum in castra* P. *tum in castra* edd. Facile *cum* ex propinquo loco immigravit, nec convenit in *tum* mutare, sive per se hoc enuntiatum consideramus sive cum sequenti comparamus. Saepe quidem apodosis *tum* apposito definitur, sed ita, ut, quid perfecta re secundaria, et quidem tum demum, sequatur, denotet, velut in hoc libro c. 6, 9 et 43, 7. 21, 11, 8.

60, 26 *Qui vos* scripsi. *quos* P edd. ante Sob. *Vos* Sob. Frob. rell. ante Als. *Et vos* Als. Wbn, Mvg, rell. *Ego vos* Hz. — Ib. *redimam* edd. edd. *redimamus* e coni. Luchsii Mlr.

Non verisimile est Q pro ET scriptum esse, praesertim quo tempore siglum illud & nondum in usu erat, facillime autem, si fuit *quiuos,* contrahendo mutatum in *quos,* similiter atque 22, 15, 7 *ipsa eum* in *ipsum* contractum est. *Qui vos redimam?* i. e. Vos redimere qui possumus? Cf. 39, 37, 2. In oratione incitata, quasi personam populi Romani induat Manlius, subito fit transitus in formam singularem. Cf. c. 50, 6 Capi ergo mavultis — aestimarique capita vestra — ab interrogantibus, Romanus civis sis an Latinus socius, ut ex tua contumelia alteri honos quaeratur? Non tu, si quidem L. Aemilii — cives estis.

60, 26 *castra* P Crev. Drak. SD, Bkr, Als. FH, Wbn, Hz, Wln, Tkg, Mlr. *et castra* edd. ante Crev., post Mvg, Rmn. Vide supra ad 18, 10.

61, 2 *quia* 3. Asc. Al. rell. ante Als., post Mvg, Wln, Tkg, Rmn, Mlr. *quam* P. *qua* 1. Als. FH, Wbn, Hz. — Ib. *exhauriri* auctore Heraeo Mvg 3, Mlr. *exaurire* P. *exhaurire* edd. Idem error paulo ante c. 60, 26 *castra tutare* P. Continuatur oratio passive *Hannibalem — locupletari.*

61, 3 *fletibus, questibus* P Als. FH, Wbn 1, Hz *(fletib. quaestibus* P). *fletibus questibusque* edd. ante Als., post Mvg, Wln, Wbn 6, Tkg, Rmn, Mlr. Vide supra ad c. 6, 6.

61, 15 *cui* ex coni. L. Vallae Mog. Grut. rell. ante Als. *qui* P edd. ante Mog., denuo Als. omnesque recentiores. Iam supra ad c. 1, 1 exemplis adlatis docui in P saepius *qui* pro *cui* legi. Ceterum tum denique, ubi dativus intellegendus est, ad protasin attrahitur nomen, cum (alteri videlicet oppositum) vocis sono premitur, quemadmodum 4, 3, 15 civis Romanus, 22, 19, 4 Cn. Scipio, 21, 18, 3 Romani. Quod quidem in pronomen relativum non valet.

Addenda.

22, 21 *ad defectionem omnes spectare* edd. ante Gron. *defectionem omnes spectare* P Gron. sqq. *Spectare aliquid* est

respicere, rationem rei habere, circumspicere, intueri, velut summum quodque decus (7, 32, 14), (de diis evocatis) hostium templa novasque sedes spectare (5, 21, 5), mare ac naves (22, 53, 5), fata et deos (5, 16, 8), fugam magis quam proelium (8, 19, 7), arma (10, 18, 5), arma et bellum (3, 69, 2. 9, 10, 5), arma et rebellionem (10, 11, 7), bellum ac defectionem (23, 34, 10), deditionem (6, 33, 1). Est autem *spectare ad aliquid* intentis oculis aliquid intueri, in rem intentum esse, ideoque etiam aliquid sequi vel sibi adsequendum cogitare atque ad id operam dare, animum iniicere alicui rei adgrediendae, aliquid tamquam finem agendi sibi proponere, inprimis de magno aliquo molimine: dicitur enim gens ad rebellionem spectare (34, 56, 10. 40, 1, 3), ab scelere ad aliud spectare mulier scelus (1, 47, 1), plebes ad defectionem (23, 6, 4; 16, 2), ad tollendum ex civitate senatum (23, 2, 7), ad vim spectare res coepit (1, 9, 6), ad defectionem (24, 6, 1), ad seditionem (25, 3, 19), parva ex re ad rebellionem (2, 18, 2). Cf. 36, 45, 9 intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum.

Ut igitur arma vel arma et bellum spectare, sic quidem arma et rebellionem, bellum ac defectionem, atque etiam sine altero deditionem spectare, utpote quod minus est agentium quam patientium; sed defectionem spectare, nisi ubi accedit bellum vel arma, nusquam comparet. Ceterum *ad* ante litteram *d* aeque facile hic in P excidit ac supra c. 19, 5 ante *statitionem* et post c. 30, 1 ante *dictatoris*. Itaque praepositio illa restituenda esse videtur.

PROLEGOMENA

IN

T. LIVII LIBRUM XXIII.

SCRIPSIT

ANDREAS FRIGELL.

GOTHAE MDCCCLXXXV.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI ANDREAE PERTHES.

Quae sequuntur in librum Livii tertium et vicesimum prolegomena, quia proximo anno pleraque scripta sunt, recentissimarum editionum variantes lectiones relatas non habent nisi earum, quae tum ab initio aderant; Weissenbornii autem et Madvigii etiam primas editiones commemoro, utpote quae me iudice nonnumquam praestent posterioribus. Praeterea exposita, quae inde a saeculo XV diversis aetatibus vulgatissima fuit, scriptura id utique efficitur, ut dubiis locis qui casus varii ipsius contextus tempore procedente fuerint cognoscatur. Recens est mos, ut, si quid suppletur in scriptura codicis illius, cuius ad normam prae ceteris dirigitur oratio Liviana, id litteris inclinatis exaretur, si quid reciditur, id uncis inclusum sistatur; at si quid mutatur, quod quidem saepissime evenit, id nondum coloribus aut ullo alio modo insignitur. Valde manca certe legentiumque oculis ingrata tota ea est ratio ac supervacanea, ubi discrepantia cod. Puteanei separatim adnotatur. Qua cognita nihil impedit curiosiores, quominus exempla sua quibuslibet signis exornent.

Ubi ad scriptionem aliquam „cdd. edd.“ aut alterum utrum notavi, codices vel omnes vel optimum quemque intellectos volui atque editiones quotquot mihi notae fuerunt, quatenus non de una vel altera paulo ante vel post aliter adnotavi. Ubicumque „edd. ante Als.“ aut simile scripsi, ex antiquissimis eas saltem inspexeram, quas his signis indicare soleo: 1. 3. Al. Mog. Ald. Grut. Gron. Drak. Scripturae compendia eadem sunt, quibus ad librum XXII usus sum, excepto F pro FH, quia Fabri in hoc libro solus est.

De divisione paragraphorum non iam id quaeritur, quo modo optime instituatur, utrum longiores esse eos oporteat an breviores, sed quae sit descriptio iam dudum usu recepta et quasi sollemnis. Itaque tum in hoc tum in prioribus libris, quae apud alios de-

flectentia vidi, ad normam editionum Clerici (Amstel. 1710) et Drakenborchii (ib. 1740) revocavi, etsi non diffiteor esse locos, ubi ipsa scriptura restituta minores necessario conferat mutationes. Omnino autem etiam in abruptis enuntiatorum partibus primitus positi servandi sunt termini paragraphorum, qua re fit, ut nec in margine scripti numeri quo referantur satis semper perspicuum sit nec in ipsis versibus more Clerici commode inserantur aut inserti facile in oculos cadant.

Editiones Gothanas libri XXII tum meam tum Luterbacheri nuntianti H. J. Muellero (Jahresber. X, p. 90) congruentia quaedam memorabilis visa est. Cuius rei causa aliqua ex parte ea est, quod orationem contextam, qualem iisdem typis eodem fere tempore describendam percensueram, ita mittebam, ut alteri editori ostendi eam liceret; illius ego recensionem non ante vidi quam meam plane absolvissem; nec is mea Prolegomena viderat. Plagulas de prelo emendandas semel legens non omnia, quae a me aliena erant, observavi: itaque monstrante demum Muellero c. 26, 1 me imprudente *ut iam,* pro eo quod erat *ut primum,* inrepsisse conspexi. Minus attentum me indulgentiusque agentem in libro XXI legendo plura fefellerunt, ut c. 23, 6 *et ipse,* 32, 7 *torpida,* 32, 11 *digressos,* 38, 3 *maxime auctor,* 39, 4 *veniebat,* pro iis, quae scribi iusseram, *et ipsos, torrida, degressos, maxime me auctor, veniebant.*

Scr. Upsaliae a. d. X Kal. Iun. MDCCCLXXXIV.

1, 1 *Hannibal* edd. (*Annibal* antiquiores). *Haec hannibal* P. Duplicem quandam hanc esse scripturam iam intellexit Valla. Nam litteram *H* a sequenti nomine sine adspiratione scripto distantem videntes in *Haec* verterunt, ac praeterea littera ipsa initialis nomini addita. Ex quo mirae ortae sunt coniecturae.

Ib. *castra capta ac direpta* 1. 3. Asc. Al. Mog. Frob. Grut. Crev. Gron. Drak. Hz. *capta ac direpta* cdd. *castraque capta ac direpta* F, Wbn, Mvg. Reliqui liberius alii aliter, in quibus Luchs „nescio an rectius non *castraque*“, inquit, „sed *castraque bina* vel *binaque castra* suppleantur“.

Adduntur vero illa verba dissolute post *Cannensem pugnam* ad hanc plenius describendam. Vid. Prolegomena ad 22, 18, 10. Errore pervulgato pro eo, quod erat *castra capta,* eo modo *capta* solum mansit, ut, postquam prius illud *ca* scriptum est, quasi id alterius verbi esset, ad hoc perficiendum statim transiretur, quod quidem in tam parva similitudine vix accidisset, si interposita fuissent *que* vel *que bina.* Nec id quemquam commoveat, quod c. 12, 14 gloriantem Hannibalem facit Hanno: „Hostium cepi bina castra“, aut quod c. 5, 6 magnitudinem cladis deplorans consul Romanus de „binis postero die amissis castris“ loquitur. Livio enim de Hannibalis in Apuliam profectione narranti nulla talis causa fuit querendi vel bina castra capta esse iterum nominatim commemorandi.

Praetermissarum interiacentium syllabarum exempla attuli Epileg. ad 21, 50, 8 et 60, 4. Sequitur mox simile exemplum, ubi ex *Statio Trebio* unum mansit in codicibus *Statio,* aberrante nimirum oculo librarii ad eandem sequentis nominis terminationem. Addendum enim nomen ad praenomen docuerunt Gronovius, Fabri, alii.

1, 3 *Mopsiani* Gron. Drak. F, Wbn, Mvg, i. e. qui cum Mopsiis faciebant. *Compsam* PC Als. *Consam* 1. 3. Asc. *Consani* Mog. *Cossani* Ald. Frob. — Ib. *urbe* Mog. Ald. Frob. Gron. Mvg 2, 3. *urbem* PC 1. 3. Al. Drak. F, Als. Wbn, Mvg 1. Vid. Epileg. ad 1, 29, 6.

2, 3 *venisset* P m. 2. vel scr. corr. (nam *n* et expunctum est et inductum) edd. ante Als., post Mvg, Wbn 6. *venissent* P scr. pr. C Als. Wbn 1, H 2.

2, 4 *iniit* C edd. ante Als., post Mvg, Wbn 6. *init* PM Als. Wbn 1, Hz. Vid. infra ad c. 11, 1 *rediit.* Ubi ad statum rei describendum multa antecedunt membra enuntiati, quod denique sequitur praedicatum non apte praesenti historico exprimitur.

2, 6 *M. Livio* Mvg, Wbn 6. *Livio* cdd. edd. ante Mvg. Quia non facile deest hic praenomen, *m* post *nuptum* excidisse suspicandum est.

2, 8 *si permittant sibi* PCM 1. 3. Asc. Al. Als. Wbn, Mvg. *si se permittant sibi* Asc. an. 1513, Mog. Ald. Frob. Grut. Gron.

Drak. F. Clementius quidem modestiusque loquitur Pacuvius, si ad *permittant* et *credant* vel rem vel id intellegit (cf. § 8), quam si *se permittant* dicit.

2, 10 *reliquit* P edd. ante Mvg. *relinquit* Mvg, Wbn 6. Quod in vestigio temporis praecipitur, praesenti expressum, praeterito autem id, quod ultra cautum est. Post quod praeteritum ita accipiendum praesens *possit* videtur, ut ad prius illud *claudi curiam iubet*, ut quod summam rem contineat, unum referatur, ad quod alterum ut secundarium quiddam adnexum sit.

3, 2 *eam* PCM Als. Wbn, Mvg. *eam nunc* edd. ante Als. Sponte se offerebat istud *nunc*.

3, 3 *clausos omnes in curiam* cdd. edd. *cl. o. in curia* Mvg unus, is vero adseverantissime, atque adeo minaciter, Em. p. 312.

Ubi locus indicatur, in quem homines abduntur, vulgo praefertur a scriptoribus analogon verbum compositum, cuius haec est triplex scriptura: 1) abl. instr., ut 38, 60, 6 *duces hostium carcere inclusit*, 2) in cum abl., ut 24, 19, 11 et 38, 59, 10 *in carcere*, 38, 15, 5 *in arce includere*, cf. 36, 17, 9 *Heracleae*, 3) in cum acc. 31, 17, 5 *matronas omnes in templo Dianae, pueros ingenuos virginesque, infantes etiam cum suis nutricibus in gymnasium includi iusserunt* (quae est constructio promiscua), 35, 30, 12 *incluso tyranno in urbem*, 38, 42, 9 *indignum esse consules ambos in valles Ligurum includi*, cf. 36, 16, 5 *Heracleam*. Similiter apud Ciceronem, Verr. 5, 45, 117 *Includuntur in carcerem condemnati*, 5, 55, 144 *In praedonum custodias tu tantum numerum civium Romanorum includere ausus es?* Phil. 2, 13, 32 *In huius me tu consilii societatem tamquam in equum Troianum cum principibus includis?* Eandem vero verbi simplicis fuisse structuram ex paucis illis, quae apud Livium aliosque exstant, exemplis apparet. 21, 54, 1 *rivus praealtis utrimque clausus ripis*. Nep. Dat. 8, 4 *adversarios locorum angustiis clausisset*. Tac. Ann. 15, 69 *clauditur cubiculo*. Liv. 23, 2, 9 *Claudam in curia vos*. A. Gell. 7, 4 *Regulum Tubero in historiis redisse Carthaginem ... dicit: In atras, inquit, et profundas tenebras eum claudebant* cet. (cf. Sen. Consol. ad Marc. 22 *condere se in tenebras*. Virg. Aen. 11, 187 *conditur in tenebras caelum*). Accedit denique hoc, de quo quaeritur,

exemplum Livianum, *Clausos omnes in curiam accipite*, i. e. postquam omnes in curiam clausi sunt, iam eos accipite: de ipso igitur claudendi actu dicitur ita, ut motus in locum indicetur. Removisse enim se narrat Pacuvius atque in curiam conditos adservasse senatores Campanos; ubi contra c. 2, 9 in curia senatum adloquitur convocatum, *Claudam*, inquit, *in curia vos*, i. e. hic, ubi in curia estis (cf. 24, 19, 11).

3, 3 *quas quisque meritus est* Frob. Grut. Gron. Drak. F, Wbn, Mvg. *quas quisque temeritus est* PC. *quas quisque emeritus est* Mog. Ald. Als. *quas quis emeritus est* 1. 3. Asc. Al. Immixtum erat, quod praecedit, *temere*.

3, 6 *de quorum* cdd. edd. *deque eorum* Mvg, cui videntur aliter ii senatores, de quibus consulturus Calavius est, a ceteris separari. Sed *de quorum* per se idem est atque *et de eorum* (singulorum), ut monet Wbn.

3, 9 *sit; date igitur* P (ubi vulgari errore *datae*) C Als. Wbn, Mvg. *sit data: eiicitur* 1. 3. Al. Mog. Frob. Gron. *sit data. Eligite* Drak. Bkr, F. Iam vero Gron. rectum divinaverat.

3, 10 *subiciundi* P Als. *subiiciundi* 1. 3. Drak. *subiiciendi* Grut. Cf. c. 23, 4.

4, 2 *adulari* e coni. Salmasii Gron. Drak. rell. *aduari* P. *adfari* P m. 2. CM edd. ante Gron. (*aff.* edd.).

4, 4 *actum aliter* C m. 2. edd. ante Mvg. *actaliter* PC. *agi aliter* Mvg, Wbn 6. Ubi infinitivis historicis descriptum est, quibus modis senatores plebem adularentur, per *iam* sequente praeterito ad aliam rem eiusdem generis procedit oratio, qua maius aliquid adiungitur ac docetur, quo verterit tandem ea remissio ac lenitas magistratuum; est enim *iam vero nihil in senatu actum aliter* cet. idem quod immo vero, tum utique nihil actum cet. Cf. *iam* 1, 9, 9. 9, 19, 9. 23, 5, 15. 35, 48, 7. 38, 17, 9. Epileg. ad 21, 62, 7. Madvig, cui aequabiliter continuari videtur ipsa descriptio, *actaliter* in *agi aliter* mutat. Tamen saepissime in P isto modo in aliud verbum transitur nondum finito priore, velut infra 11, 3 mittitodeque, 12, 13 mittimilites, 12, 16 defeadnos, 19, 14 herbiterreni, 27, 9 uolgares, 43, 14 nolominari. Qui error hoc, qui adest, loco non fefellit antiquissimos editores.

4, 5 *plebei* C Gron. Drak. *plebeis* P, duplicem genitivum (plebei, plebis) repraesentans. *plebes* Mog. *plebis* Grut.

4, 8 *et quod cum* P edd. „Supervacaneum omnino videtur illud *quod* et inelegans", Crevier. Si retineatur, interpretationi ita subveniendum sit, ut procedat proximum enuntiatum secundarium, recedat alterum in hunc fere modum: item quod militabant aliquot cives Campani apud Romanos, e quibus trecenti equites nobilissimi ab Romanis in Siciliam missi maximum vinculum erant civitatium iungendarum.

5, 5 *quia* PCM Als. Wbn, Hz, Mvg 2, 3. *quasi* edd. ante Als. *qui* Mvg 1. Ubi causa proposita vera esse negatur, sic ex. gr. dici poterat: non quia aliquid habeamus, opem a vobis petimus, sed paene bellum pro nobis suscipiatis oportet. Cf. 21, 31, 2. 4, 57, 3. Eadem vero hic utitur Livius coniunctione *quia,* ubi negatio alio modo exprimitur.

Ib. *id quod deest* edd. *id quod est* PCM Als. *id quod desit* Rmn. Tenent ea verba locum substantivi; non condicionaliter dictum id est. Ubi confusione litterarum bis *de* una scriptum erat, alterum excidit. Quo modo damnum accipit modo verbum praecedens, vid. ad c. 4, 4, modo id, quod sequitur, ut scriptum est in P infra 28, 9 antishaberent, 33, 6 missumitad, 33, 7 interfectiones, 43, 7 itagerat.

5, 9 *dediticiis* Als. Hz, Wbn. *dedistis* P. *deditis* Gron. Drak. F, Mvg. *dedimus* edd. ante Gron. Appellantur Campani *dediticii* Romanorum 7, 31, 4 et 38, 7, neque hic tam dedendi actus vel tempus quam ea, quae deditione orta est, condicio respicitur. Soni saltem similitudine facilius ex *dediticiis* quam ex *deditis* factum est *dedistis.*

5, 11 *indigena* PCM 1. 3. Al. Mog. Frob. Als. Wbn, Hz. *indigenam* Grut. Gron. Drak. F, Mvg. Queritur consul Romanus, quod imperium a Romanis ablatum adeo non apud Italam saltem gentem mansurum sit, ut ad Poenos hostes transferatur, qui ne Africae quidem indigenae sint, sed in ea quoque terra pro advenis habendi, et qui militibus utantur barbaris ex Hispania illuc tractis. Vid. 34, 62, 11.

5, 13 *His* PC F, Als. Wbn, Hz, Mvg. *Hos* edd. ante Fabrium, quem vide.

5, 14 *Romanum* P edd. *Romanorum* Mvg, idque ob nullam aliam causam, quam quod ita habent edd. quidam recentiores. — 5, 15 *victos esse,* vid. ad c. 34, 4.

6, 1 *Hac* edd. edd. ante Mvg. *Ab hac* Mvg, Wbn 6, ut voluerant Gron. Crev. *Hac oratione consulis dimissis legatis,* i. e. Ubi hac oratione consul legatos valere iussit, legatis responsum dedit. Non plane idem hoc est atque id quod saepissime dicitur: Ab hac oratione, contione, adhortatione, Ab hoc spectaculo, ab his praeceptis missi, dimissi, sim. (28, 33, 1. 24, 22 6; 39, 1. 40, 47, 8. 44, 34, 6), ubi aliquid statim post orationem cet. secutum esse narratur, quare interdum additur confestim, extemplo, recens (30, 36, 1. 27, 30, 9. 21, 16, 5). Cf. 24, 23, 1 Post hanc orationem.

6, 4 *plebes* 1. 3. Al. Mog. sqq. *plebis* PC Als. — 6, 5 *vicit* edd. ante Als., post Mvg. *vincit* PC Als. Wbn, Hz; quod parum idoneum est, ubi, quem eventum habuerit deliberatio, narratur. Haud insuetae sunt eiusmodi verborum mutationes.

6, 8 *praetermiserint* scripsi. *praetermiserant* cdd. edd. *praetermissuri erant* Mvg. Artificiosius *praetermiserant* interpretantur, id tempus respexisse Livium, quo rem pro certo ponere dicit se veritum esse. Quod liberius scribit Madvig, *praetermissuri erant,* ita cogitandum est condicionaliter, ut dicatur Coelium et alios scriptores eam rem non sine causa praetermissuros fuisse, sc. si praetermisissent. Livius vero non id quidem dictum vult, quid existimandum fuisset, si rem praetermisissent, sed hanc eos vere praetermisisse, ideoque se pro certo ponere veritum esse, quod in quibusdam annalibus inveniret. Itaque sic eos id praetermisisse ait, ut simul indicet sibi persuasum esse vel se opinari id eos suo iure fecisse, quae vis est coniunctivi potentialis *praetermiserint,* cuius scripturae necessitas obversata esse videtur iis, qui in hunc modum interpretantur: „Cölius nebst andern haben dies wohl nicht (gewifs nicht) ohne Grund verschwiegen." Ut omnino *i* in *a* saepe mutatur, sic P praebet exempla huius formarum confusionis, ut infra c. 15, 4 remanserant, ibm § 12 militaverat ... fecerant, ubi legendum est remanserint, militaverint, fecerint. Cf. De mendis codicum Caesaris p. 37.

7, 1 *condicionibus his* Wbn, *condicionis* PC M (contractione,

nisi fallor, ubi *is* pro *his* scriptum fuerat). *his condicionibus* edd. ante Gron. *condicionibus* Gron. Drak. F, Als. Wbn 1, Hz. *cond. iis* Mvg.

7, 3 *illa* PC 1. 3. Gron. Drak. Crev. Bkr, F, Als. Wbn, Mvg. *alia* Mog. Grut. SD. Cf. 43, 5, 9 *Haec missa; illa petentibus data, ut — commercium esset.* Etiam ubi non opponuntur inter se, *illa (illud)* interdum ad sequentia spectat: Praef. 9. 4, 55. 8. 5, 5, 1. 8, 32, 4. Post talem vocem quasi praenuntiam, ut apud Graecos γὰρ, sic nonnumquam apud Latinos *nam* vel *enim* poni monet Fabri.

7, 3 *exspirarunt* interpretes, Ostertag, Grosse, Heusinger, alii: „wo sie von Dampf und Hitze erstickten und elenderweise umkamen". Ubi praecedit *custodiae causa,* i. e. ut ibi custodirentur, non recte sequitur *ubi* (ut ibi) *exspirarent,* inprimis si additur *foedum in modum,* quae eventus, non consilii est descriptio.

7, 7 *occulta* PCM Als. Wbn 1, Hz. *occulte* M m. 2. edd. ante Als., post Mvg, Wbn 6. *occulta agebantur,* i. e. ita agebantur, ut occulta essent („als Geheimnis"). Ut omnino librarii ad mutanda ea, quae difficiliora essent ad intellegendum, proclives fuerunt, sic ubi Latini subtilitate quadam dicendi adiectivo utebantur, at ex recentiorum linguarum consuetudine adverbium postulatur, saepe in edd. recentioribus vel etiam in edd. antiquis commutatio facta est, velut 9, 23, 6 et 22, 12, 7 *substitit occultus,* 7, 36, 6 *Hic lucem quieti opperiamur,* 1, 28, 2 *proximi constitere,* 8, 4, 10 *quod illi vobis taciti concedunt,* 8, 21, 7 *Ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii pacati sint,* 21, 21, 9 *si cetera prospera evenissent,* 22, 32, 2 *opportuni aderant.* Quibus quidem locis haec adverbia supposita sunt: occulte, quiete, proxime, tacite, voluntarie, prospere, opportune. Quae in his optimorum librorum consensu munita sunt adiectiva, suo iure retinentur, quamquam in ipsis adverbiis nihil est, quod vituperes. Est autem in optimo quoque 8, 36, 7 *rem per se popularem ita dexter egit;* ubi Weissenborn Madvigium secutus iam praefert adverbium. Cf. Sall. Iug. 29, 5 *reliqua cum Bestia secreta transigit,* Cat. 20, 2 *nequiquam opportuna res cecidisset* (i. e. ita cecidisset, ut opportuna esset), 26, 5 *quae temptaverat, aspera foedaque evenerant.* Tac. Ann. 1, 1 *Tiberii*

ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae compositae sunt.

7, 10 *privatim* PC rell., edd. ante Bkr., post Als. Wbn 1, Hz. *privato* e coni. Gronovii Bkr., F, Mvg, Wbn 6. *privatim se tenuit,* i. e. secretum ab aliis, secretim, separatim; quae particularum terminatio antiquis in deliciis erat. Dicitur de modo vivendi, de loco autem *in privato,* v. c. abditum esse (9, 7, 12), servari (32, 26, 18). Plautus tamen Bacchid. 2, 3, 80, ut monet Dukerus, non obscure *privatim* dicit, quo sensu vulgo in loco privato, vel apud privatum.

7, 10 *inambulabat* C. *inambulabit* P. *inambulavit* edd. In P *bi* non minus pro *ba* quam pro *ui* scribi potuit. Imperfectum autem hic aptius est, ut iam monuit Alschefski. Cf. Cic. Tusc. 4, 19 *Noctu ambulabat in publico Themistocles.*

7, 11 *ut ipse* cdd. edd. *et ipse* e coni. Gruteri Mvg. *ut et ipse* Wbn 6. Minime tollenda videtur particula *ut,* ubi sententiam negativam excipit adfirmativa. Non quidem *et ipse,* ut unus e multis, sed *ipse,* is ipse, quem omnes suspicerent ac celebrarent.

8, 6 *domo* Grut. sqq. *modo* P edd. ante Grut. Vid. Proleg. ad 22, 55, 8 *certe.* — Ib. *diti ac luxuriosa* auctore Kreyssigio Bkr, F, Mvg, Wbn 6. *diuadua | riosa* P. *diu ad varias* edd. ante Gron. *diti ac variis* Hz. *diu luxuriosa* Als. Wbn 1. *divite* Sigon. SD. *luxuriosa* Gron. Crev. Drak. Cf. 42, 34, 3 in diti domo.

8, 7 *pertolerare vini vim potuit* scripsi. *perholauiniim | potui* PC *(perholla* P m. 2. C*).* (Scilicet scriptura mutilata sic fere ut paulo ante, ubi esse debebat *divi ac luxuriosa.*) *Perolla vinci potuit* edd. ante Als. *Perolla perpelli ad vinum potandum potuit* Als. *perpelli vinum ut potaret potuit* Wbn 1. *perpelli ad vinum potuit* Hz. Wbn 6. *perpelli ad potandum potuit* Mvg.

Non solum in C, sed etiam in P aperte legitur *uiniim,* elisa, ut fit, littera *u.* Falso igitur Alschefskium secuti *uinum* referunt. *„holauinum,* hoc est, *potandum"*, Madvigii est divinatio; quodque ita leviter effinxit *potandum,* habere se ait pro fundamento huius loci supplendi; supplet autem *perpelli ad potandum;* ad quod Harant „Quae verba" inquit „neminem alium in vestigiis codicis P visurum opinor"; idemque de eo, quod iam ante inventum

erat, *perpelli:* „Vehementius aliquanto videtur id verbum, quam ut cum invitatione benigna et leni conveniat. Nec probabiliter ex litteris *perhol* eruitur *perpelli*".

Sensit certe Calavius filius se, ut facinori atrocissimo perpetrando par esset, non posse perpotationem tolerare, sed, quantum fieri posset, vino sibi esse temperandum, quamobrem ne Hannibalis quidem invitatione ei persuaderi potuit, ut vinum forte ultra potaret.

8, 9 *venia* PC Als. Wbn. *veniam* edd. ante Als., Hz, Mvg. — Ib. *impetrari* PCM *(impetraui* P scr. pr.*)* Als. Wbn. *impetrare* 1. 3. Al. Mog. Ald. Frob. *impetraturi* e coni. Vallae Grut. Gron. Drak. F, Hz. Mvg. — Ib. *possit, sed* C. m. 2. Als. Wbn 1. *(set* C*). et* P. *sed* edd. Pro *romanispossitset* facili omissione scriptum est *romaniset.* Hoc igitur verbum vel simile eo loco intercidisse non sine causa opinantur. Mansit in cod. Pal. sec. *impetrari a romanis queat,* in aliis *impetrare possimus a romanis.* — Ib. *fuimus* cdd. edd. *fuimus, futuri* Mvg.

9, 1 *vidit audivitque* PC rell. *(audiuiditque* P*)* edd. ante Als. *audivit viditque* Als. Wbn, Hz, Mvg 1, 2. Minus recte refert Als., nam certissimum est *uidit* in P exstare ante *audiuiditque,* atque is ordo etiam soni causa praeferendus est. Similis error repetitae vocis in P infra c. 22, 7.

Ib. *quae audiebat interesset* edd. *interq. audiebat interesset* P, ubi *q* pro *quae* vulgare est, ac saepe antecapitur verbum aut verbi pars; minime ex *inter* eliciendum est *intus,* ut vult Harant; quarum vocum eo saltem tempore, quo P exaratus est, non fuit compendium commune.

9, 3. *dextrae dextras iungentes* P Gron. sqq. *dextras dextrae iung.* edd. ante Gron., qui ordo verborum usitatior certe esse videtur, cf. c. 27, 7 *corpora corporibus adplicant armaque armis iungunt,* 28, 9 *castra castris conferrent,* 40, 9 *castra castris sunt obiecta.*

9, 3 *ut sacr. f. m. — in eum armaremus?* P Iac. Gron. Crev. Drak. Bkr, F, Als. Wbn, Hz. (Edd. vett., quae ab *ut* omnes incipiunt, varie aberrant). *vis, sacr. f. m. — in eum armemus?* Mvg.

Subito abrumpit Calavius pater, quam inceperat, narrationem, ut interrogatione consilium sacramenti in absurdum vertente vehementer vituperet filium. Sensus enim hic est: Num ob id his paucis horis fidem obstrinximus, ut manus iuris iurandi religione consecratas statim in Hannibalem armaremus? Re vera autem est negatio: Non ob id cett. Immiscentur interdum concitatae orationi interrogationes repentinae cum reprehensionis vel indignationis significatione. Cf. 21, 44, 6 *Ne transieris Hiberum! ne quid rei tibi sit cum Saguntinis! Ad Hiberum est Saguntum?* cett. (Ubi perditur id, quod huius dicti proprium est, si cum Madvigio in hunc modum mutatur: *At non ad Hiberum est Saguntum*). Madvig scripturam codicum a reliquis iudicibus litteratis intellectam probatamque suo more mutat negans aliter animadverti figuram et a vera consilii significatione distingui posse, nisi ad *ut* adiungatur pronomen aut adverbium interrogationem indicans *(quid ut* cett.*).* Ea vero distinctio non in hac re difficilior est, quam in aliis sententiis interrogativis sine pronomine aut particula interrogandi enuntiatis; atque in ea, quae subsequitur, interrogatione consimili Madvig ipse *ut* retinet nihil ad id addens, tempus tantum verbi similiter commutat.

9, 4 *ut eam i. m. cruentares* P Gron. Crev. Drak. Bkr, F, Als. Wbn, Hz. *eam i. m. cruentare vis* edd. ante Gron. *ut eam i. m. cruentes* e coni. Rupertii Mvg. Is vero, si, qua coeperat *(vis — armemus?)* perrexisset, sumpto ex edd. vett. vocabulo *vis,* scribere hic ad eandem normam debebat: *vis, eam ipsam mensam cruentemus hospitis sanguine?* aut *eam i. m. cruentare vis h. s.?*

Perspicua est analogia interrogationum, vis eadem utriusque, quarum altera: Dextrae dextras iungentes fidem obstrinximus — ut sacratas fide manus armaremus? (i. e. Num vero ob id obstrinximus, ut cet.), altera autem haec est: Ab hospitali mensa surgis, et ad hanc tertius Campanorum adhibitus es — ut eam cruentares hospitis sanguine? (i. e. adhibitusne ad eam es, ut mensam hospitalem hospitis cruentares sanguine?). Ut illa consilium iuris iurandi, sic hac consilium invitationis in absurdum vertendo graviter reprehendit iuvenem. Non inferius est, sed pariter positum ac fortius, quod postremo adiicitur *ad quam tertius* cet., ad quod enuntiatum simulac ascendit oratio, subita, ut priore loco, adiungitur interrogatio cum ironia dissimulantiaque.

9, 6 *torpescent* PC Als. Wbn 1, Hz. *torpescentne* edd. ante Als., post Mvg, Wbn 6. Non magis in hac quam in iis, quae praecedunt et sequuntur, interrogationibus incitatis contra codices optimos particula addenda est.

9, 7 *sustinere nequeunt* Gron. Crev. Drak. F, Wbn, Hz, Mvg. *sustineren* P in exitu versus, ubi sequens incipit a *quem,* quare *nequeunt* nullo negotio expulsum est. *tremunt* edd. ante Gron. *non — — sustinerent* Als. — Ib. *Ut alia* Stroth, Wbn, Mvg. *italis* P. *talis* P m. 2. *et si alia* Mog. Grut. *et alia* Gron. Drak.

9, 8 *Atqui* edd. inde ab initio omnes, exceptis Als. Wbn 1, Hz, quae Puteanei *atque* servant. Est illud graviter et severe monentis.

9, 11 *defectionis* Gron. Crev. Drak. F, Wbn, Hz, Mvg. *defectione | inis* P. *defectionem inisti* edd. ante Gron., post Als. Harant. Facta est in P titubatio in versibus permutandis; spectatur vero *defectionis.* — Ib. *tertio* P Al. Ald. Frob. Grut. Drak. F, Als. Wbn. *tertium* 1. 3. Asc. Mog. Mvg 2, 3. Quod commendaverant Tan. Faber et Gron.

10, 2 *inter* Bauer. *et inter* cdd. edd. Post *praeposuissent* ob similitudinem litterarum tum addi potuit *et* tum demi. *et* pro etiam acceptum vult Fabri. — Ib. *pollicitus* cdd. edd. ante Wbn. *pollicitus est* Wbn, Mvg. Aptissime *pollicitus* iis, quae praecedunt, subiungitur: qua oratione perblanda ac benigna gratias egit Campanis cum alia tum haec magnifice pollicitus.

10, 5 *magistratuum* 1. Al. Bkr, F, Mvg. *magistratum* P 3. Als. Hz, Wbn. *magistratus* Asc. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Cf. c. 12, 14.

10, 9 *vociferanti* Gron. Crev. Drak. F, Mvg, Wbn 6. *vociferante* P Als. Wbn 1, Hz. *eo vociferante* 1. 3. Asc. Al. Mog. Frob. Grut. Neglecto remotiore verbo obvolvendi ad proxime sequens retulerunt. Eadem in P falsa terminatio c. 9, 8.

10, 10 *ne aut* edd. ante Mvg. *namut* P. *aut* auctore Dukero Mvg, Wbn 6. Ad verba a priore *ne (ne motu* cet.*)* remotiora *ne* repeti potest intercedentibus ablativis, qui sententiam condicionalem continent (si ob eam causam legatio ad se missa esset), quemadmodum *ut* longiore interiecta sententia nonnumquam iteratur. Vid. Proleg. ad 22, 11, 4. Videtur in P *nam ut* ex *ne aut* exstitisse.

Ib. *primam* iubente Gron. Kreyssig, F, Mvg, Wbn 6. *primum* PCM edd. ante Kreyssigium, post Wbn 1, Hz. Non tam de una quadam re iterum ac saepius petenda agitur, quam de una prae ceteris.

10, 12 *cum* Gron. Crev. Drak. F, Wbn, Hz, Mvg. *dum* PC edd. ante Gron., post Als. Vid. Epileg. ad 21, 43, 1.

11, 1 *rediit* edd. ante Als., Mvg. *redit* PCM Als. Wbn, Hz. Ut omnino binorum *i* alterum eliditur, etiam ubi deesse nullo modo potest, sic vulgo in compositis verbi eundi aliisque perfecti formis in *ii* (contr. ex *ivi*) exeuntibus *i* pro *ii* scribitur in optimis cdd., velut 22, 60, 16 *abistis — audistis;* quo modo confunduntur in singulari numero formae quaedam praesentis et perfecti, quae erant distinguendae, atque etiam in P interdum distinguuntur, ut 22, 61, 4 abiit, ibm § 13 rediit, 23, 31, 9 rediit; quam quidem scripturam, quotiens sensus apertus est, e re erit restituere. Vid. Riemann, Remarques critiques, Revue de philologie VI, p. 195.

11, 1 *divi divaeque* coni. Bkr, Als. Wbn, Hz, Mvg. *diui d///que* P. *divinaque* 1. *divina quoque* 3. Asc. Al. Mog. *divi quoque* Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. F. Cf. 7, 26, 4. 29, 27, 1.

11, 3 *lucris meritis* cdd. edd. *e lucris mer.* Mvg. Est autem ablativus absolutus cum praecedentibus coniunctus et mox accuratius explicatus: postquam re publica bene gesta lucra, pietatis virtutisque praemia, feceritis, de praeda, manubiis spoliisque acceptis dona deo portatote. Itaque praepositionem addere non opus est; ceterum etiam *de* adponi posse monet Wbn. — 11, 4 *iis* PC Als. Wbn, Hz. *his* edd. rell.

11, 6 *in ara* 3. Asc. Al. Mog. Frob. Grut. Gron. Mvg 3. *in aram* PCM 1. Crev. Drak. F, Als. Wbn, Mvg 1, 2. Cf. 44, 25, 10 pecuniam in templo deponere. 30, 39, 8 et 31, 50, 2 signa in Capitolio, in aerario ponere.

11, 7 *Lucanorumque, quae* coni. Riemann. *quaeque* PCM 1. Al. Gron. Drak. F, Als. Wbn 1, Hz. *quae* 3. Asc. Mog. Ald. Frob. Grut. Wbn 6. *ut quaeque* e coni. Crevierii Mvg.

Bruttii omnes et pars Lucanorum defecerant ad Poenos (22, 61, 11. 23, 11, 11), eorum vero civitates, quae a Poenis denuo

deficientes Romanis favebant (cf. 25, 16, 5), Mago recepit. *bruttiorumque lucanorumque* ex omittendi consuetudine (vid. Epileg. ad 21, 50, 8; 60, 4) in *bruttiorumque* contractum est; itaque ubi exstabat *bruttiorumque quae,* id errore vulgatissimo in *bruttiorum quaeque* mutatum est.

11, 9 *quinquaginta milia* edd. ante Als. L. P. *quinquaginta* Als. Wbn, Hz, Mvg. Non deest in P lineola super notam numeri *milia* significans. „*milia* wird immer im zweiten Gliede wiederholt, wenn eins der beiden Glieder noch kleinere Zahlen angiebt." G. Richter. Vid. Jahresberichte d. phil. Vereins VIII, p. 321. — In praecedenti numero $\overline{cc}$. P, *ducenta milia* edd. omnes, alterum $\bar{c}$ deletum vult Harant.

Ib. *cepisse* cdd. edd. *cepisse, bina castra expugnasse* coni. Luchs, cum recurrat hoc quoque dictum in responso Hannonis (c. 12, 14), quo reliqua fere pars narrationis Magonis repetitur. Apparet tamen gloriosa potissimum verba, quae reprehensioni idonea sint, respondentem Hannonem sectari nec iis utique abstinere, quae rei augendae atque irridendae sint. Enumeraverat enim Mago civitates quasdam Italiae ad meridiem vergentis, quae ad Hannibalem defecerant, adflictamque rem Romanam appellaverat; uberius vero Hanno ista repetit ac gloriantes facit Barchinos ad internecionem Romani imperii pugnatum atque in defectione totam Italiam esse. In eandem, qua Mago, sententiam locutus Terentius consul de binis castris amissis memoraverat (c. 5, 6), quod meminisse ansam forsitan dederit Livio etiam haec ipsa verba victoribus attribuendi, praesertim cum alia communia habeat, praeconium Magonis cum lamentatione Terentii. Itaque non magis hoc loco, quam c. 1, 1, ut idem voluerat vir doctus, *bina castra* ista repetenda sunt.

11, 10 *fugatum* PCM Als. Wbn, Hz. *fugatumque* edd. ante Als., post Mvg. Vid. Prolegg. ad 22, 9, 5 Hadrianum.

11, 12 *tantis totque* PCM edd. inde ab Aldinis. *tot tantisque* 1. 3. Asc. Mog. — Ib *verum* edd. inde ab Gron. (exc. Als.). *atrum* P. *uerum sacrum* M Frob. Grut. *rerum sacrum* 1. 3. Asc. Mog. Ald. *sacrum* P m. 2. C. m. 2. Al. *aecum* Als.

12, 1 *supra* Mvg, Wbn 6. *superpa* P (nempe *superpatris,* pro eo, quod sine dubio fuerat *superpra tris*). *super* P m. 2. C

edd. Duplicem P hic offert scripturam praepositionis, *super* et *supra,* quarum prior est reiicienda; nam ubi idem valet quod ultra vel plures quam, Livius utitur *supra,* ut 21, 23, 6. 23, 11, 9; 17, 2; 37, 11. 30, 35, 3, posteriores *super:* Tac. Germ. 33 *super sexaginta milia non armis Romanis ceciderunt,* Suet. Calig. 38 *super quadraginta reos una sententia condemnavit.* — Ib. *tris* PC Als. Wbn, Hz. *tres* 1. 3. Mog. Drak. Mvg. *treis* Al. Ald. Frob. Grut. Gron.

12, 4 *pecuniae* PCM Gron. Crev. Drak. Bkr, F, Als. Wbn, Hz. *pecuniaeque* edd. ante Gron. *et pecuniae* Mvg. Vid. Proleg. ad 22, 6, 6 humeris.

12, 9 *paeniteatne* Als. Wbn, Hz, Mvg 1. *paeniteat me* P. *paeniteatne me* edd. ante Als., post Mvg 2, 3. Facile *me* pro *ne* post *paeniteat* scriptum est. Interrogaverat Himilco: *etiam nunc paenitet belli?* non *paenitet te belli.*

12, 10 *Respondeam, inquit* PCM *(respondead* P scr. pr.*)* 1. 3. Asc. Mog. Ald. Frob. F, Als. Wbn, Hz, Mvg 1. *Respondeam igitur* Grut. Gron. Crev. Drak. Bkr. *Respondeo, inquit* Mvg 2, 3, qui mutandum putat, quia nec sit coniunctivus condicionalis nec hortativus. At est potentialis: praefatus paululum Hanno ipsam orationem leni ironia orditur („ich möchte antworten", Gerlach). Cf. 21, 18, 6 *censeam,* 22, 7, 4 *velim.*

12, 14 *commeatuum* edd. ante Als. (exc. Grut.) *commeatum* PC Grut. Als. Wbn, Hz. Similiter c. 10, 5 magistratum. *u* pro *uu* ut *i* pro *ii* scribebatur.

12, 15 *defectione* 1. 3. Al. Ald. Frob. Grut. Gron. Crev. Drak. Bkr, Mvg, Wbn 6. *defectionem* PC Asc. Mog. F, Als. Wbn 1, Hz. Inlexerit in hunc casum, quod sequitur, *totam.* — 13, 5 *his* P Als. Wbn, Hz. *iis* edd. ante Als. Mvg.

13, 7 *argenti talenta D* coni. Wbn, cf. Als. ad hunc locum; latente nimirum in littera initiali nominis sequentis signo numeri, qui est *quingenta. argenti talenta* PCM Wbn, Mvg (qui post *talenta* asteriscum pro numero ponunt). *argenti multa talenta* edd. ante Fabrium. *arg. mille tal.* F. *mille arg. tal.* Als. Cf. c. 32, 5, ubi numeri alii sunt, minutisque copiis duplicata pecunia videtur. — Ib. § 8 *dictatorque* cdd. edd. Omnibus fere ea vox suspecta est, quam pro nomine aliquo proprio scriptam putant.

Vid. I. Fischer, Commentationes Livianae, Spirae 1840, progr. Nec de hoc nomine nec de numero, qui proxime praecedit, quicquam pro certo statui potest.

14, 2 *M. Iunius Pera* Gron. sqq. *M. Iunius* edd. ante Gron. *m. iunius per* PC. Quamvis *per* ex eo, quod sequitur, *perfectis* antecaptum esse possit (ut in P supra c. 9, 1 *inter*q. audiebat *inter*esset, 22, 60, 25 *cum* in castra refugerunt *cum*, 22, 59, 9 *re*fugerunt sed praesidio castris *re*lictis, ib. § 10 nobis *me*rito — — in nobis*me* praesidii, 22, 55, 3 *paene* per omnes *paene* domos), tamen cognomen *Perae* verum esse constat ex Fastis consularibus, ubi et dictator sic appellatur et consul quattuordecim annis ante cum M. Aemilio Barbula („Barbula et Pera" Chronographus a. 354). Quo auctore nisus scripserit W. Ihne M. Iunius *Pisa* (röm. Gesch. II, p. 205), non indicat. Brevius quidem dixerat Livius 22, 57, 9 *dictator ex auctoritate patrum dictus M. Iunius et Ti. Sempronius magister equitum* neutrius addito cognomine, iam vero, cum ad summam industriam dictatoris commemorandam transit, plenius eum nominat.

14, 4 *translata* edd. ante Als. Mvg. *tralata* P Als. Hz, Wbn. At ex codicibus 1, 18, 8 *translato*, 45, 37, 10 *translaturus*.

14, 6 *ut non* P edd. post Kreyssigium. *et ut non* CM edd. ante Kreyss. Sententia haec est: *ut non hostiliter statim* aliquid facturus.

14, 8 *propalam* Gron. sqq. *prolatam* P. *palam contra* edd. ante Gron. — Ib. *secunda simulando* e coni. Gron. F sqq. *secunda simulanda simulando* P (sic legi). *clam simulando* edd. ante Strothium. *clam, secunda simulando* SD. *obsecundando* Bkr. Hoc autem verbum, quamquam per se nihil habet, quod offendat, tamen non hic a Livio usurpatum esse codices testimonio sunt; hi enim nulla alia re delinquunt, quam duplici scriptura, quae eo ipso orta est, quod ad *secunda* accommodata est forma verbi duplicata. Intellegi autem secunda multitudini (plebi) apertissimum est etiam non repetito hoc, qui modo positus erat, dativo. Cf. 8, 12, 14 *secundissimae plebei leges*, 5, 49, 4 *quae secunda suis elegi poterant*. In loco sanatu facillimo oleum et operam perdiderunt critici.

14, 10 *Marcellum Claudium* P edd. omnes. Sed adposita

sunt in P eadem transmutationis signa, quae 22, 27, 1 ad restituendam scripturam *rebus secundis*. Voluit igitur *Claudium Marcellum* is, qui correxit. Ceterum in P repetita ibidem post *Casilini* atque expuncta inveniuntur haec eodem ordine verba: *cum marcellum claudium qui casilini*. Habet etiam P 26, 22, 13 *m. marcellus claudium* (sic). Cf. 21, 11, 1 *Flaccum Valerium*. Legitur *M. Claudius Marcellus* 22, 35, 6; 57, 7 et 23, 30, 17, *M. Claudius* 23, 32, 2; 24, 44, 4; 27, 7, 8, *M. Marcellus* 23, 24, 1; 25, 7; 30, 19 ac saepius, sed plerumque solum *Marcellus*.

14, 13 *Calatiam* edd. ante Als. *(Calaciam* 1. 3). *Galatiam* PCM Als. *Caiatiam* Wbn, Hz, Mvg. Intellegitur Calatia Samnitium. Vid. Proleg. ad 22, 13, 6. — Ib. *per* Mvg. auctore F. V. Ottone, Divinationes Livianae, Carlsr. 1839, p. 36. *perque* PC edd. — Ib. *Saticulanum* 1. 3. Grut. Gron. sqq. *sauculanum* P. *satriculanum* Asc. Al. Mog. Ald. Frob. — Ib. *Trebulanumque* ex emendatione Cluverii Grut. Gron. Drak. Bkr, F. *Trebianumque* P Crev. Als. Wbn, Hz, Mvg. *Trebeianumque* 1. 3. Ald. rell. ante Grut. Cf. c. 39, 6, ubi *Trebulam*, quae erat urbs Campaniae in confinio Samnitium, recte habet P. Cf. Mannert p. 784.

15, 2 *Nola omissa* e coni. Vallae Drak. sqq. *nolano omisso* PCM. *Nola non admissus* 1. 3. Asc. Al. *Nolam non adm.* Mog. Ald. sqq. ante Drak. In iisdem vero pro *Neapoli* legitur *Neapolin* vel — *im*.

15, 4 *remanserint* Stroth, F, Als. Wbn, Hz, Mvg. *remanserant* P Bkr. *remansissent* edd. ante Gron. *remanerent* Gron. Crev. Drak. Kr. Vid. supra ad 6, 8 praetermiserint.

15, 7 *Bantius, quem* edd. *bantiusq.* P. — Ib. *conscientia* e coni. Gron. Bkr sqq. *consensua* P. *consensus* P m. 2. edd. ante Bkr. — Ib. *temptatae* e coni. Gron. Bkr *(tent.)* sqq. *tem* | *tatem* P. *temtantem* P m. 2. *attentatae* edd. ante Bkr. — Ib. *si ad id* Gron. sqq. *siadie* P. *si ea die* P m. 2. edd. ante Gron. — 15, 15 *dono* Mog. sqq. *ex dono* P. Repetitur scilicet initium eius, quod praecedit, *eximium*.

16, 1 *cum Hannibal* cet., i. e. imminente periculo illinc ab Hannibale, qui ad portas erat, hinc a plebe Romana, quae de integro ad defectionem spectabat. In tanto discrimine rerum L. Bantius Romanis fidelem se praestitit. Intellexit primus Heu-

singer haec prioribus subiungenda esse, cui adsensi sunt Kreyssig, Bkr, Fabri, Wbn, Hz. Probatur vero etiamnunc Madvigio haec complexio verborum: *Cum Hannibal ad portas esset — plebesque — ad def. spectaret, Marcellus sub adventum hostium intra muros se recepit.* In quo offendit in primis bis facta designatio temporis. Ac si Marcellus sub adventum hostium intra muros se recepit, non tum primum, cum Hannibal iam ad portas *esset,* id factum est, sed certe antea se receperat.

16, 4 *provocantes (-tis)* M m. 2. Crev. Drak. F, Als. Wbn, Hz, Mvg. *procantis* P (sic legi) CM. *rogantes* edd. ante Drak. Facillime in *procantis* mutatum est *prouocantis* (praetermisso altero *o*), non, ut vult Luchs, *procurrentis.* Saepe ex provocatione pugnabatur; quo modo ad pugnam lacessentes *provocare* dicebantur, etiam non nominato hoste, qui obstabat: 2, 45, 3. 3, 60, 3. 23, 47, 1. 24, 8, 4. 28, 21, 4.

16, 5 *cotidiana duorum* Gron. Crev. Drak. Bkr, F, Wbn 1, Hz. *coditia | iam duorum* P, ubi metathesis *dit* pro *tid* adduxit m. 2. ad corrigendum *comitia,* qui fons fuit erroris (non enim *o,* ut refert Gron., sed *d* virgula transfixum ac superpositum *m*). *comitiaria iam d.* 1. 3. Al. Mog. Frob. *continua iam d.* Grut. *cotidiana iam d.* (vel *quot.*) Als. Mvg, Wbn 6. Mutilatum in P adiectivum in exitu versus iterato *ia* genuit in sequenti *iam,* quod inutile esse viderat Gron. Nam ex quo Hannibal ad portas erat instrui utrimque acies coeptae parvaque proelia vario eventu fiebant. Haec erat cotidiana duorum exercituum statio, nec paulatim ea cotidiana facta est.

16, 6 *prodiret* Hertz. *iret* PCM edd. ante Wbn. *staret* Wbn, Mvg. *foret* Gron. Si fuit *portis prodiret,* simili principio utriusque effici potuit, ut in posteriore verbo *prod* omitteretur. Est autem *prodiret* in aciem procederet.

16, 7 *aliqui motus* PC Als. sqq. *aliquis motus* edd. ante Als. Ad quod adnotavit Harant: „Hic, adeo displicet vox *aliqui* singulari numero posita, nescio an scribi praestet *orerentur,* vel, quemadmodum olim editum fuerat, *aliquis.*“ Parum consulta utraque esset mutatio. Rhenanus quidem, qui 28, 3, 12 *dolus aliqui suspectus* in Spirensi legi testatur, huius egregii codicis ipse familiaris Livium sic loqui solere adfirmat. Sed ibi sequente

s iam P habet *aliquis,* atque omnino in eam litteram adglutinandam proni sunt scribae. Tamen iubent codices optimi, ut eo, qui adest, loco *aliqui motus* scribi, sic 4, 35, 9 *aliqui plebeius,* 7, 13, 8 *consensus aliqui patrum.* Exstant apud Ciceronem multa similia: Verr. 2, 55, 37 *Ordo aliqui censorum est?* 3, 85, 195 *aliqui quaestus,* 4, 65, 146 *magistratus aliqui,* Sest. 62, 131 *si est aliqui sensus in morte,* Acad. pr. 7, 19 *deus aliqui,* 26, 86 *anularius aliqui,* Tusc. 4, 16 *aliqui talis terror,* 5, 21 *aliqui terror,* 1, 11 *deus aliqui,* N. D. 3, 38, 91 *iratus aliqui deus,* Rep. 1, 44 *aliqui dux,* 3, 16 *aliqui scrupus in animis haeret,* Off. 1, 32, 115 *casus aliqui,* 3, 7, 33 *aliqui casus,* Fam. 7, 1, 1 *dolor aliqui corporis.* Similiter Cato r. r. 157, 7 *inde aliqui morbus nascitur.* Etiam pro substantivo *aliqui* nonnumquam usurpatur: Caes. b. G. 5, 26 *aliqui ex nostris procederet,* Cic. Cael. 3, 7 *Vellem aliqui ex vobis robustioribus hunc male dicendi locum suscepisset,* Cluent. 41, 113 *Iam ergo aliqui Oppianicum gratis condemnavit — iam putabitur aliqui ab initio non sedisse.* Gell. 11, 13 *dicat mihi aliqui vestrum.*

16, 7 *motus in urbe* e coni. Weissenbornii Mvg. *motus iniurise* P. *motus in muris* edd. ante Grut. *motus intus* e cod. Sigonii Grut. Crev. Drak. *motus iniuriave* e coni. Gronovii Bkr, Kreyssig, F, Als. *motus intus in se* Harant. Quod praebet P, confusio est duplicis scripturae, *in urbe* et *urbis.* Motus idem fere valet ac tumultus atque inconsultum certamen c. 7, 8. Cf. § 11 tumultum aliquem in urbe plebem moturam, c. 17, 7 ne quis Capuae oreretur motus.

16, 8 *tris* PC 1. 3. Al. F, Als. Wbn, Hz. *treis* Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. *tres* Drak. Mvg. Cf. 23, 12, 1; 26, 48, 8 et 9 *tris* P. 23, 21, 7 *tres* P.

16, 9 *destinata impedimentis* in coniecturis Crevierii, Rupertii, Doeringii (sc. aut *destinata* aut *data* abundare). *destinata impedimentis data* cdd. edd. Quae quomodo explicanda aut mutanda essent, valde incerti fuerunt docti viri. „An forte *subsidiaque et stationes impedimentis datae*“, I. F. Gron. „*destinata* videtur nunc vocare, quae alibi (36, 18, 4) *assueta* praesidia“, Iac. Gron., quem sequuntur nonnulli interpretes: „Das Gepäck erhielt seine gewöhnliche Bedeckung“, Ostertag. „On donna aux bagages de

l'armée le détachement ordinaire", Verger. „*destinata* int. aciei, i. e. milites ad subsidia in acie alias destinati nunc impedimentis subsidio dati sunt." Stroth. „Die zur Reserve bestimmte Abteilung wird dem Gepäck zur Bedeckung beigegeben", Wbn. *subsidia destinata* explicabo: certa, selecta", Doer.; quo modo plerique pro adiectivo acceperunt, velut „Eine bestimmte Hinterhut wurde dem Trosse beigegeben", Klaiber. Si subsidia impedimentis data esse dicuntur, ea impedimentis (custodiae impedimentorum) destinata fuisse ridicule additur; sin *subsidiaque destinata impedimentis* (i. e. impedimentis adsignata sunt) scribitur, id satis idoneum est, dummodo ne accedat *data;* neque hoc aliud esse videtur nisi glossa verbi praecedentis, qua insolens et insulsa redditur oratio.

16, 15 *quingentis* Als. sqq. *D* P, quod virgula transfixum est. *quingentos* Drak. Bkr, F. *uno* edd. ante Drak. — Ib. *Romanorum* P 1. 3. Al. Mog. Ald., deinceps Als. sqq. *Romanos* Frob. Grut. *Romanum* e coni. Gron. Drak. F. — Ib. *amissis; sed* Als. sqq. *amisis set* (vel *amisisset*) P. *amisisse* edd. ante Als.

16, 16 *gesta est* auctore Freinshemio Hz, Mvg. *gesta sit* edd. edd.; quod, quamvis cum lege dicendi minus conveniat, forsitan tamen scripserit Livius atque hoc dicere voluerit: Ingens eo die res gesta est, sed nondum addito hoc praedicato ulterius progressus est: Eo die res nescio an maxima illo bello gesta sit; quod si verum est, ex hoc coniunctivo sententiae praeponderantis ad prius illud indicativus sumendus (cf. 21, 58, 10, ubi ex eo, quod sequitur, *est coeptus* ad praecedens illud *recipere animos* cogitandum est *coepere.* 22, 36, 7 *manasse* alia significatione ad praecedens relatum). Licet vim adverbii *fortasse* induat illud *nescio an,* tamen cum coniunctivo ponitur 2, 2, 2. 3, 60, 2. 21, 43, 3. 22, 39, 4. 28, 12, 2.

Ib. *vincentibus* cdd. edd., i. e. iis, qui vincebant, sive qui tum vincebant. Ut c. 3, 2 addito adverbio *eam nunc habetis* diu ex abundanti scriptum fuit, sic hoc loco fuerunt, quibus *tunc* addere placeret; quid? quod Madvigio denique *vincere discentibus* in mentem venit.

17, 4 *obstinatos in dies videt* scripsi. *obstinatos inde videt* PC (*opst.* P) Al. Als. Wbn 1. *obst. [inde] videt* Hz, Mvg. 1, 2, Wbn 6. *vidit inde obstinatos* 1. 3. Asc. *vidit obstinatos* Mog. *obst. vidit* Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. F. *obst. in fide videt* e coni. Putschii Mvg 3.

Post *in* sequente *di* interdum *inde* in P conflatum est: ut 22, 51, 4 in his verbis *eidem di dedere* primum duplici quadam scriptura litterae *m* adauctum *eidem in,* denique attracto sequente *di* confectum *eidem inde* (cf. 22, 47, 8 *etiam in,* 22, 58, 5 *aliquantum in,* 26, 5, 13 *aciem in,* 29, 4, 8 *quem in.* Sic enim P), haud aliter hoc loco, si erat *in dies,* exstitit *inde,* quo facto reliquae litterae ut abundantes periere (cf. c. 17, 7 *oreretur motus*). Saepe autem vox dies iacturas fecit, ut 22, 13, 8 *eo die* in P abiit in *eodem.*

In dies et *in singulos dies, in horas* et *in singulas horas* distributionis ratione dicitur de eo, quod ad unumquemque diem, ad unamquamque horam pertinet, quod quotidie fit, cum quovis uno die vel omnibus horis (κατ' ἑκάστην ἡμέραν ἢ ὥραν) redit et renovatur, proprie cum quodam incremento, ideoque plerumque cum comparativo vel cum verbis augendi et crescendi *(in dies gravior oppugnatio* Caes. b. G. 5, 45, *incommodo in dies augebantur,* id. b. c. 1, 52, *in dies dolores accrescere sensit* Nep. Att. 21, 4, *multa in dies addiscere* Cic. Cat. m. 14), tum vero omnino de iis, quae non intermittunt, sed continuantur et persistunt; quo modo etiam *in diem* nonnumquam usurpatur (vulgo autem de eo, quod per unum diem valet, ut in diem vivere, in diem rapto vivere). Sall. Iug. 74, 1 *itinera praefectosque in dies mutare,* Sall. Hist. 1, 43 (Non. Marc. 4, 62) *vinarii laniique, quorum praeterea volgus in dies usum habere solet,* Plaut. Men. 3, 1, 10 *Affatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt,* Cic. Att. 14, 20 *consilia temporum sunt: quae in horas commutari vides,* ib. 6, 3 *renovato in singulos annos fenore,* ib. 12, 13 *cura, ut excuser morbi causa in singulos dies,* Fin. 4, 24, 65 *curatione adhibita levantur in dies,* Hor. A. p. 160 *mutatur in horas,* Liv. 2, 12, 10 *in hoc discrimen accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo,* 31, 29, 15 *mutabilibus in diem causis hostes sunt,* 34, 11, 4 *quam mox signis collatis dimicandum sit, in dies exspectet,* 44, 8, 3 *ignarum, belli quae in dies fortuna novaret,* Tac. Ann. 2, 13 *agros et stipendii*

in dies sestertios centenos pollicetur, Plin. N. h. 5, 17, 73 *in diem ex aequo convenarum turba renascitur,* Plin. Ep. 3, 17, 3 *ipse valeo, si valere est suspensum et anxium vivere exspectantem in horas,* Auct. b. Afr. 1 *ut omnes in dies horasque parati essent.*

Hannibal Acerranos ad deditionem perlicere conatus *obstinatos,* i. e. perseverantes, in eadem sententia persistentes, *in dies videt,* sc. obstinatos ad decertandum (cf. Liv. 6, 3, 9). Non tam fidem eorum Poenus curae habebat quam vim resistendi respexit consiliumque immutabile, quo ad gravissima quaeque perpetienda se paratos praebebant.

17, 7 *Casilino* edd. ante Als. *Casino* P Als. Wbn, Hz, Mvg. Ut intellegatur, quo loco dictatorem legionesque accipi nuntiatum sit atque unde ii nuntii venerint, ad nomen a recentissimis reiectum revertendum est. Ea ipsa nomina dux ille itineris (22, 13, 6) non solus confudit. Longe inde alia regione erat Casinum (22, 13, 8).

17, 7 *vanis minis accipi nuntiassent* scripsi. *nimis accipi nuntiassent* P. *nuntii accipi nuntiassent* 1. 3. Asc. Al. Mog. Ald. Frob. *eminus aspici nunt.* auctore Lipsio Grut. Crev. Hz. *novas acciri nunt.* auct. Valla Gron. Drak. Bkr, F. *Casilinum acciri nunt.* Als. *nimis accipi nunt.* Wbn, Mvg. Recentissimae coniecturae hae sunt: *venire Numidae citi nuntiassent* Mvg, *Ninnii acciri nuntiassent* Harant, *eius Casilinum acciri nuntiatum esset* Alex. Tartara *(nuntiatum esset* iam Valla et Sigonius*).*

Novissima ista conamina longe a vero aberrant. Nam primum *accipi* hic non minus firmum stat quam paulo post § 10, ubi plane idem est huius verbi usus. Deinde *nimis* in P solita metathesi litterarum pro *minis* scribi in Prolegg. ad 22, 28, 9 et 9, 2 docui. Idem hic error recurrit. Quod si restituitur, ut recte intellegatur, aliud aliquod verbum, quod in easdem litteras exierit, ob eam similitudinem omissum esse statuendum est. Iam vero id, opinor, haud difficile invenitur, quandoquidem saepius apud Livium de *vanis minis* mentio fit, ut 4, 22, 6; 22, 28, 9. Itaque *cum a Casilino nuntiassent* (cf. c. 19, 5 nuntiabantur a Casilino) dictatorem legionesque *accipi,* sc. ea urbe, idque *vanis minis* nuntiaverant, i. e. ita ut minae vanae essent. Acceptum iri Casilini dictatorem falso fama vulgata minis territaverat Campanos, qui caede facta oppidanorum in ea parte urbis, quae ultra Volturnum erat, etiamtum mansisse videntur et de periculo, quod is rumor sibi minaretur, Hannibalem certiorem fecisse. Sed vanae hae minae fuerunt; nam dictator in eam urbem non ingressus est. Tamen tam graves eae minae adeoque non vanus timor Hannibali et ipsi visus est, ut antevertendi causa statim exercitum Casilinum duceret. Neque vero procul a Casilino castra Romana posita sunt (c. 19, 5), qua urbe amissa dictatur Teanum in hiberna ad exercitum rediit (c. 22, 4 et 24, 5).

Desiderant denique ad *nuntiassent,* nisi in passivum fingatur, additum certum subiectum: ut veteribus *nuntii,* sic Madvigio *Numidae citi,* Harantio *Ninii* adponi placuit. Frequenter vero Livius verbo plurali absolute utitur, non praecedente nomine, ad quod referatur: 2, 7, 2 *adiiciunt* (cf. 24, 3, 7), 3, 37, 5 *exspectabant,* 5, 25, 11 *remiserunt,* 7, 1, 10 *ferrent,* 9, 16, 19 *destinant* (cf. 35, 20, 1), 26, 22, 14 *eludant,* 28, 11, 1 *verterent,* 31, 49, 8 *praeceperant,* 32, 9, 3 *nuntiabant,* 33, 28, 5 *fremebant.*

17, 7 *ne quis* PC Al. Ald. Frob. Gron. Drak. F, Als. Wbn, Hz. *ne quisquam* 1. 3. Asc. Mog. *ne quid* e coni. Gron. et Crev. Bkr, Mvg. — Ib. *Capuae* PC 1. 3. Asc. Al. Bkr, F, Als. rell. *Capuam* Mog. Ald. Grut. Gron. Drak. *Capua* Frob.

17, 7 *oreretur motus* Als. Wbn 1. *orere* | *currunt* P, ubi litteras *ore* induxit m. 2. *recurrunt* C. *recurrat* edd. ante Bkr. *oreretur tumultus* F, Hz. *oreretur terror* Wbn 6 *(terror fiat* coni. Doering). *moveretur* e coni. Gron. et Crev. Bkr, Mvg. Praeclare hanc scripturam explicavit Als.: „*cur* in *currunt* male scriptum esse pro *tur* veri simillimum videtur: quo facto facile fieri potuit, ut, omissis litteris *us, currunt* pro *turmot* poneretur." Motus non iam est defectio, vid. ad c. 16, 7.

17, 8 *contulerat* edd. edd. *conpulerat* auctore Duiatio Hz. *eodem audita clades contulerat,* i. e. effecerat, ut in eundum locum coirent, se conferrent (nimis durum esset compellerentur).

17, 9 *adgregantibus* coni. Crev. Als. sqq. *aggregarent* edd. ante Als. In P ex compendio illo *adgregantib.* ultimae litterae IB facili mutatione in UR abierunt, atque ita copulatae sunt, ut IR legi possit.

17, 10 *atque* coniecit Fabri. *ita* P. *iamque* edd. ante Wbn.

ut e coni. Crevierii Wbn, Hz, Mvg. *ita* pro *ut* scriptum esse non est veri simile. Facilius *atque* et *ita* quam *iamque* et *ita* permutata sunt. De Capuae defectione agi Romani milites ubi primum venerunt pro certo habuisse videntur, quare *iamque* vix aptum est. — Ib. *haberent* e coni. Sigonii Stroth, Kreyssig, Bkr, F, Als. *habere* PCM Asc. *habuere* edd. ante Strothium, post Wbn, Hz, Mvg. Ubi una legebantur *haberentinterfectis*, excidit *nt* ante *int* remansitque nudum *habere*, ut supra § 7 *orere* intereunte exitu verbi. Praeterea valde incommode enuntiata illa sic iunguntur: cum dies aliquot — traduxissent, ut — pro certo habuere, — partem urbis — occupavere.

18, 1 *si in* Gron. sqq. *sin* P. *sin in* edd. ante Gron., quae lectio auribus est ingrata. — Ib. *vi rem* auctore Heerwageno Wbn, Hz, Mvg. *ut rem* PCM. *rem* edd. ante Wbn. Eodem errore 26, 39, 11 *non ut ac virtute* P. Contraria in P mutatio 27, 45, 1 *ui detegi*.

18, 5 *oppositis* cdd. edd. *positis* Mvg. Opposita sunt castra, quatenus id spectabant, ut eruptiones cohortium repellerent et arcerent, ut § 6 erumpentes agmine elephantorum opposito prope interclusit (cf. 37, 40, 6). Opponere saepius absolute, ut 37, 39, 9.

18, 9 *deerat: socii* cdd. edd.. *deerat sociis* e coni. Gronovii Bkr, Mvg. Ad *deerat* facile auditur ab obsessis, a parte eorum, qui in praesidio erant. Tum vero per explanationem hos, qui cives Romani fuerint, et propugnacula statuendi et transversos cuniculos agendi artem intellexisse narratur. Quod *socii* liberius in *ab sociis* mutatum ad antecedentia trahit Luchs, id ibi inutile est, in sequentibus non item, ubi ab Romanis artem eos didicisse monstrandum erat.

19, 14 *nascuntur* PC. *nascantur* edd. *Dum*, ubi temporis modum significat, ad quem aliquid produci dicitur (germ. so lange bis, so lange noch bis dafs) nec simul consilium agentis exprimitur, saepe cum indicativo coniungitur. Ter. Ad. 2, 1, 42 *Delibera hoc, dum ego redeo*, Eun. 1, 2, 126 *Concedam hinc intro atque exspectabo, dum venit.* Virg. Ecl. 9, 23 *Tityre dum redeo pasce capellas.* Cic. Att. 10, 9 *Saltem dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta.* Curt. 6, 7, 6 *In novo et precario imperio tempore opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur et efferatos mollior consuetudo permulcet.* Liv. 8, 7, 7 *Visne tu igitur, dum ista dies venit, interea tu ipse congredi mecum?* 22, 29, 9 *dum imperare discimus, parere prudenti in animum inducamus,* 27, 42, 13 *tantumque ibi moratus, dum milites ad praedam discurrunt.* Pertinent pleraque exempla ad verba manendi, morandi, exspectandi, ut loco, de quo disputamus, *sessurus sum* i. q. mansurus sum. Cf. § 16 *donec omne aurum persolutum est, in vinculis habiti.*

19, 16 *remissi domos cum fide* scripsi. *remissi Cumas cum fide* cdd. edd. *remissi summa cum fide* e coni. R. Titii Mvg, Wbn.

Ubi erat, ut opinor, in archetypo *domos cum*, aut *cum* pro *dom*, ut saepe pro *dum*, statim scriptum est, aut antecaptum ac postea suo loco retentum; sive igitur *cumos cum*, sive initio *cum domos cum*, ac deinceps contractione facta *cumos cum* lectum fuit, in *cumas cum* mutatum est, deprehenso nimirum nomine noto. Et loci aliquod indicium ad verbum remittendi opus erat, quod quidem verbum hic firmissimum est.

19, 17 *minus* cdd. edd. *haud minus* Mvg 3. Significat *minus* (i. e. minus quam) iuxta certum numerum positum hunc non expleri, idque ita, ut modo intellegatur eum numerum minorem esse quam exspectandum fuerit aut esse debuerit, modo nihil aliud indicetur, nisi quantus fuerit ipse numerus, nec ullum de ea re iudicium fiat, utrum maior an minor sit, quam esse eum oportuerit. 10, 25, 15 *minus quinque milia* sic dicitur, ut perparvus is numerus pro magnitudine belli esse videatur. 24, 16, 4 *minus duo milia hominum ex tanto exercitu* pauciores erant quam exspectabatur. Similiter 23, 46, 4 *Romanorum minus mille interfecti* (hostium plus quinque milia). 3, 64, 10 *minus decem* (decem autem esse debebant). 23, 30, 6 *minus duo milia superessent* (in opulenta quondam urbe). Ubi vero est 37, 39, 9 *equitum minus tria milia opposuit*, nec parum nec nimium id fuisse intellectum voluit scriptor. Quo modo saepius nullo omnino iudicio facto simpliciter describitur numerus, ut 35, 51, 1 *minus quattuor milium inde in proxima Euboeae est mari traiectus,* 34, 9, 2 *oppidum in mare expositum totum orbem muri minus qua-*

dringentos passus patentem habebat. Haud aliter eo, qui nobis adest, loco, ubi narratur ex quingentis septuaginta *minus dimidium* ferrum famemque absumpsisse, nihil omnino de eo numero absumptorum iudicatur, sed in medio relinquitur, exspectandumne fuerit, ut plures aut ut pauciores interirent. Ita tamen is numerus non expletus dicitur, ut, quin expleretur, non multum afuerit, ideoque minus dimidium idem fere est ac prope dimidia pars, ut interpretatur Heusinger: „beinahe die Hälfte".

Declarat Madvig se pridem sensisse addendam particulam negativam, sed non prius attendisse post *fuerunt* excidisse *haut* (aut). Iam vero ea iactura minime dubia ei videtur. Si accedat *haud*, cladem gravem fuisse ait significari, sin absit, tolerabilem nec nimiam. At si ex numero aliquo minus quam dimidium interiit, aeque tolerabilis vel aeque gravis clades est, sive numerus ille quingenti fuerunt, sive quinque milia, ut quae pro portione eadem est. Itaque in tali narratione nihil continetur nisi nuda descriptio. Sin autem refertur interfectorum hostium numerus plus quinque milia, Romanorum minus mille, tum simul clades horum tolerabilis nec nimia habenda est.

19, 18 *cum titulo* coniecit Ulrich, probant Wbn, Hz, Mvg. *et tria signa cum titulo* cdd. edd. ante Wbn. Militibus Praenestinis, quorum admirabilis Casilini fuerat fortitudo, duplex Praeneste erat monumentum, alterum in foro, alterum in aede Fortunae, utrumque cum titulo. Erat enim in foro praetoris eorum statua cum titulo lamnae aeneae inscripto, in aede autem tria signa, sive deorum imagines, quibus idem titulus fuit subiectus. (Cuius generis signa vel aenea memorantur, ut 27, 6, 19; 31, 50, 2, vel aurata, ut 27, 16, 7 et 8; 33, 27, 4; 37, 3, 7; 38, 35, 4 et 6).

19, 18 *votum vovisse* edd. ante Mvg. *uotum uoluisse* P. *votum solvisse* Mvg, Wbn 6. Frequenter in P *l* frustra additum est, velut 28, 3, 12; 41, 10 *ultrum* et *ultra* (utrum, utra), 24, 8, 15 *placato* (pacato), 27, 27, 13 *cloelius* (Coelius), 28, 32, 8 *circumflusam*, 29, 9, 7 *multilatis*. Ubicumque vero erat *uouisse, uouisset*, sim., vulgo effingebatur *uoluisse, uoluisset*, ut in P 28, 38, 14, in optimis primae decadis codicibus 1, 55, 1; 2, 20, 12. Simili lapsu calami, ubi fuerat *mouit, admouissent* 24, 32, 1 et

39, 10, alia addita consona in P legitur *monuit, admonuissent.* Itaque adeo non, ut putat Madvig, ex eo, quod hoc quoque loco in P est, *uoluisse*, coniiciendum est *solvisse*, ut contra ea ipsa scriptione procul dubio prodatur vera lectio *vovisse.* Quemadmodum vero multis aliis verbis adiungebantur substantiva eiusdem stirpis, sic etiam ex formularum consuetudine diligentiaque *votum vovere* in usu fuit, Plaut. Amph. 3, 2, 66 quae apud legionem vota vovi, si domum redissem salvus. Iam vero in statua illa teste Livio Anicium votum suscepisse his verbis inscriptum erat: *M. Anicius — votum vovit;* qua ipsa inscriptione eundem votum solvisse satis erat declaratum.

20, 6 *iam* cdd. edd. „Fortasse scribendum *tam*, Forchhammer animadvertit", Mvg. Circumspectis omnibus imperii viribus fateri coacti sunt Romani *iam* in eas se angustias redactos esse, ut omnino longinquis sociis nihil in se praesidii esset. Itaque non decet repetere coniecturam, quae fuit multorum interpretum: „man könne so entfernte Verbündete nicht schützen", Grosse, „pour protéger des alliés à une telle distance", Verger cet. — Ib. lege *sibimet ipsos.*

20, 6 *in praesenti fortuna* 1. 3. Asc. Al. Mog. Ald. Frob. Grut. Crev. (Iidem, quod praecedit, *in reliquum* omittunt). *praesenti fortuna* PC Gron. Drak. Bkr, F, Als. *pro praesenti fort.* auctore Madvigio, Wbn, Hz.

Post litteram *m (reliquum)* constat *in* et tolli et addi in optimis cdd. (cf. ad c. 22, 6). Hoc autem loco *pro* excidisse non est veri simile. Ob id fortasse *reliquum* omissum est a nonnullis, quod in describendo ex verbis *in reliquum* transitus factus est in alterum illud *in praesenti.* Sic autem dicitur *in praesenti fortuna*, ut frequenter apud Livium in praesentia, in re praesenti, in tali tempore. In praesentia, dum duriore conflictaretur populus Romanus fortuna, Petelinos in reliquum tempus sibimet ipsos consulere iusserunt.

20, 10 *Relata* Crev. Wbn, Hz, Mvg. *relaxata* PC 1. 3. *Relaxat* Asc. *Re laxata* Ald. Mog. rell. ante Wbn. — Ib. *re tenuerunt* Crev. Wbn, Hz, Mvg. *retinuerunt* PC edd. ante Gron., post Als. *tenuerunt* Gron. Drak. Bkr, F.

21, 5 *quantum argenti* 1. 3. Asc. Al. Ald. Frob. Grut. *quanti*

argenti PCM Gron. Drak. sqq. *quantum argentum* Mog. Causa mutandi fuit Gronovio lectio codicum meliorum. Hi vero, qua sunt proclivitate ad terminationes verborum proximis similes effingendas, ubi in tali re scripturam praebent a fide abhorrentem, parvam habent auctoritatem. Paucissimis, quae adferuntur, istius structurae exemplis non multum efficitur: nam 22, 51, 3 *ad consilium pensandum temporis opus esse* per ellipsin interpretandum videtur, aliquid temporis, spatium temporis. Apul. Met. 9, 39 *mihi operae eius opus est* facile *e* habet ex sequenti adglutinatum. Propert. 3, 1, 12 *Pierides, magni nunc erit oris opus* sc. bella Augusti canere. Proprie igitur cogitatur de opere perficiendo, quod transit in alteram significationem. Denique tenendum est Carbachium contraria accommodatione *argentum* non scripturum fuisse, nisi *quantum* stabile invenisset.

22, 4 *M. Aemilius* P edd. ante Gron. et post Als. *Manius Pomponius* Gron. sqq. — Ib. *praetor, dictatore* edd. *prodictatore* P.

22, 4 *profecto* scripsi e edd. Lov. 3. Berol. *profecto tam* PM. *profecto tum* Lov. 4. 5. *profecto iam* C edd. *profecto tandem* coni. Luchs.

Vulgo fit, ut a suo substantivo remotum ad alienum intercedens trahatur adiectivum vel participium (ut c. 25, 1 *solitudine per urbem actam*), quo modo hic *amissum profectum* magis forsitan placuerit quam *amissum profecto;* deinde vero demigrante in contextum, quae supra scripta fuerat, nova terminatione vel *profecto tum* vel *profecto tam* exstitit; nam litterae supra versum positae saepe minus clarae fuerunt, ut praebet P c. 12, 1 *superpatris* ex variante *super* et *supra tris,* 22, 16, 4 *poenistus,* ubi *poenus* in *poenis* mutatum fuerat, 22, 24, 8 *utitaque* (variante *utique* et *itaque*), 22, 17, 2 *ex campie a capite* (voluerat glossator *ex capite);* ubi vide plura. Apparet igitur vel *tum* vel *tam* post *profecto* ex ipsa ultima syllaba corrupta effingi potuisse; quorum cum neutrum admitti posset, *iam* substituit Valla. At ne hoc quidem retinendum esse docuit Luchs, quod praeproperam fuisse profectionem dictatoris minime indicandum esset. Neque vero magis proficiscendi moram longiorem factam esse significandum erat, sed hoc tantum, de senatoribus legendis rettulisse ob eam causam praetorem, quod dictator ad exercitum profectus esset,

idque post Casilinum amissum necesse fuisse. Itaque *tandem* (quod recte ponitur § 2) hic non aptum esse videtur, neque, si nativum fuisset, *tam* aut *tum* in edd. legeretur.

22, 4 *inopiam* edd. edd. ante Wbn. *inopiam illam* Hz. *inopiam eam* Harant („sic enim patet omissae vocis causa"). *inopiam senatorum* coniecit Wbn, probavit Mvg. Haec vero est interpretatio, non sanatio via ac ratione facta. Scriptori satis fuit ex altero illo, quod sequitur, intellexisse inopiam eorum, qui in patres lecti erant (partim fortasse ex praecedentibus: inopiam eorum, qui ad publicum consilium convenirent). — *ex quibus* cet., i. e. ex quo numero civium cives in patres legerentur.

22, 5 *populo Romano magnopere* e coni. Crev. Kreyssig sqq. *pro magnore* P. *pro magna re* P m. 2. CM edd. omnes ante Kreyssigium. — Ib. *se suadere* P 1. 3. Mog. Ald. Frob. Drak. sqq. *suadere* Al. Grut. Gron. — Ib. *senatoribus, quibus* e coni. Vossii Wbn sqq. *senatoribus* P (ob similem exitum verborum facta omissione). *senatoribus, si* edd. ante Wbn.

22, 5 *atque inde in* scripsi e cod. Berol. *atque in* P edd. *atque ei in* Mvg. Vulgo *in* cum virgula super *n* scribebatur pro *inde,* qua deleta saepius *in* solum mansit, ut 22, 54, 11; hoc autem loco, ubi sequitur alterum *in,* facillime totum interiit. Raro quidem *inde* de numeri alicuius parte usurpatur, tamen certissima sunt exempla Ter. Ad. 1, 1, 22 *nati filii duo; inde ego hunc maiorem adoptavi mihi,* Liv. 36, 19, 12 *quadraginta inde milia cecidisse,* 23, 41, 9 *septem inde naves cepit* (sc. ex ea classe, ex iis navibus). Quod coniecit Mvg *atque ei — legerentur* cum re minus convenit: non enim id suaserat Carvilius, ut senatores Romani legerentur quicumque civitate donati essent, sed auctum voluerat numerum civium, *ex quibus* in patres legerentur.

22, 6 *haud aequioribus* edd. *haut* | *iusequioribus* P, ubi tres illae litterae *ius* expunctae sunt. Duplex scriptura, *iustioribus* et *aequioribus,* emergit. Poterant quidem dici etiam parum iusti fuisse patres adversus Latinos.

22, 6 *in tota curia* scripsi. *tota curia* cdd. edd. Suspicatus est Doering praepositionem *in,* quae paulo durius hic omittatur, excidisse. Placuit id Rupertio, non item Fabrio, qui ad gramma-

ticos relegat. Iam vero sic docet Draeger (II p. 484): „Bei totus, omnis, universus und medius mit einem Substantiv der Ortsbestimmung kann die Präposition *in* fehlen. Aber die Schriftsteller setzen bei *medius* und *totus* überall ebenso gut die Präp. *in*, die bei *omnis* und *universus* durchaus vorherrschend ist.“ Differt tamen aliquid discernendaque exempla. Deest enim *in*, si quid velut per superficiem quasi puncti instar obtinentem motum (vel moveri) aut porrectum aut uno aspectu visum cogitatur. Dicit Livius: *toto campo se fundere, spargere, dispergi* 27, 41, 10; 37, 20, 5; 29, 32, 7; *totis castris undique ad consules curritur* 2, 45, 11; *consul toto foro, Hannibal victor tota Italia volitavit* 39, 32, 10; 28, 44, 10; *toto foro triclinia strata erant* 39, 46, 3; *iumenta itinere toto prostrata* 22, 2, 9; *templa tota urbe spoliata ornamentis* 38, 43, 6; *trepidatio tota urbe fuit* 26, 44, 5; *si tota urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit* 5, 53, 8; *Rhodiae naves longe celerrimae tota classe* 37, 29, 9; *fortissimi equites toto Punico exercitu* 26, 38, 12; *id robur toto exercitu erat* 39, 30, 12; *nemo tota iuventute habebatur prior* 27, 8, 6. Sic etiam ceteri scriptores. Caes. b. G. 7, 38 *Nuntios tota civitate Aeduorum dimittit* (cf. 3, 25 *equitatus hostes apertissimis campis consectatus*), b. civ. 3, 32 *Pecuniae tota provincia exigebantur;* 1, 2 *dilectus tota Italia habiti.* Cic. Man. 11 *Quis toto mari locus firmum habuit praesidium?* Flacc. 26 *Lacedaemonii soli toto orbe terrarum septingentos iam annos unis moribus vivunt.* Quibus quidem locis totum mare, totus orbis terrarum unius puncti instar accipitur. Aliter Rull. 2, 24 *Cum erant Catones* cet., *tamen huiusce modi res commissa nemini est, ut idem iudicaret et venderet et hoc faceret toto in orbe terrarum*, i. e. quatenus patet orbis terrarum, usque ad extremas partes terrarum, usque quaque intra orbis terrarum terminos. Verr. 4, 1 *Nego in Sicilia tota ullum argenteum vas fuisse, quin conquisierit,* 2, 66 *nisi Metellus illam rem imperio prohibuisset, vestigium statuarum in tota Sicilia nullum esset relictum;* Pis 35 *Unus tu dominus, unus aestimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuisti;* Man. 3 *is, qui uno die tota in Asia, tot in civitatibus uno nuntio cives Romanos necandos denotavit;* de div. 1, 35 *motus terrae in Liguribus, Gallia totaque in*

Liguribus, Gallia totaque in Italia factos esse; Phil. 10, 5 *Tria tenet oppida toto in orbe terrarum;* 11, 13 *Cn. Pompeius unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum populo Romano iudicavit;* Verr. 3, 9 *Apronium in provincia tota Verres audacia sui simillimum iudicavit.* Quorum ad similitudinem accedunt haec Liviana: 29, 14, 8 *P. Scipionem iudicaverunt in tota civitate virum bonorum optimum esse;* 37, 25, 10 *esse Syphacem toto in orbe terrarum cuivis regum maiestate parem;* 32, 18, 3 *nullus in tota Acarnaniae ora portus erat.* Additur ergo *in*, ubi interiora rei respiciuntur, vel quae sunt in aliqua re, quae illius terminis continentur. Hoc autem loco, unde egressi sumus, commemoratur fremitus eorum, qui in curia erant, fremitus per omnes partes curiae auditus, quamobrem *cum fremitus indignantium in tota curia esset* Livium scripsisse probabile fit. Codices hac in re parvae sunt auctoritatis; nam in P, ubi praecedunt voces in *m* exeuntes, *in* saepius omittitur, velut post has: 21, 43, 18 procedam (procedam aciem), 21, 44, 7 etiam, 22, 8, 3 quam, 22, 60, 25 cum.

22, 7 *quem Latinum* edd. omnes ante Als. *quem latinum quem* P. *Latinum, quem* Als. sqq., quos Alschefski falsum ex P referens pariter hic in errorem induxit atque supra c. 9, 1, ubi *vidit* in P bis legitur.

22, 8 *id actum* PC *(it* P*)* Als. Wbn 1, Hz. *id tantum* 1. 3. Asc. *id tactum* Al. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. F. *id iactum* Mvg, Wbn 6. Madvig, qui *tactum* pro ipsa scriptura codicum venditat, sic argumentatur: „Nulla eius rei fuerat actio, sed mentio inconsiderate iacta“. Sp. Carvilius quidem longa oratione habita magnopere suadebat, ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus data civitate inde in demortuorum locum in senatum legerentur, quam condicionem tam vehementer aspernati sunt patres, ut fremitus in tota curia esset. „*Agendi* verbum, ut et *actionis* nomen, ad ea, quae cum vehementia quadam oratoria dicuntur, pertinere nemo ignorat“, Douiatius ad Liv. 25, 4, 7, ubi P ceterique codices *Haec cum ab optimo quoque pro atrocitate rei acta essent* („hierüber der Abscheulichkeit der Sache gemäfs nachdrücklich seine Meinung gesagt“, Grosse, „in diesem Tone sich geäufsert“, Oertel). Cf. 21, 53, 6 *Haec adsidens aegro col-*

legae, haec in praetorio prope contionabundus agere. 8, 33, 23 *Haec simul iurgans, querens — plurimis cum lacrimis agebat.* 30, 36, 9 *Et illi quidem multo miserabilius quam antea, quo magis cogebat fortuna, egerunt, sed aliquanto minore cum misericordia auditi sunt.* 34, 31, 19 *Pluribus me egisse quam pro patrii sermonis brevitate fateor.*

22, 10 *his* P Als. Wbn 1, Hz. *iis* vel *eis* edd. rell. — 23, 1 *Is* edd. *R* P, quod pro *IS* scriptum est. Omiserunt cdd. rell. *Dictator* coni. Wbn et Hz.

23, 2 *neque dictatorem se sine magistro equitum* P edd., i. e. neque se probare dictatorem, sive quod dictator aliquis esset, sine magistro equitum. Ea lege dici dictatorem omnino improbabile Fabio videbatur. Madvig *se* uncis inclusit, quia non apte pro obiecto haberetur. Nam sic vulgo interpretantur. Sed est accusativus subiecti.

23, 3 *fors* PC Al. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Bkr, Als. Wbn, Hz. *sors* 1. 3. Asc. Mog. SD, Tauc. *forsan* Mvg.

Quae prima specie aequo gradu composita esse videntur, *fors, tempus ac necessitas,* re vera sunt ordinis diversi; nam primo nomine enuntiato, antequam accedit verbum, alterum, quod aptius perfectusque videatur, substituitur subiectum, ut sit quasi correctio vel uberior expositio; non effert statim id scriptor, quod ab initio intendisse videtur, *Quae immoderata fors fecerit,* sed hoc postponens progreditur ad apertius illud: (quae immoderata) *tempus ac necessitas fecerit,* quemadmodum accuratius explanandi causa dissolute ponuntur enuntiationes vel partes enuntiationum, velut 22, 14, 4 Spectatumne huc, ad rem fruendam oculis, venimus? Vid. Proleg. 22, 18, 10. De iis denique valet *forsan,* quae in incerto sunt, iam vero et res immoderate administrari et tempus ac necessitatem id cogere certissimum erat. — Ib. *fecerit* PC Als. Wbn, Hz. *fecerint* edd. ante Als. — Ib. *his* PC Als. Wbn 1, Hz. *iis* edd. ante Als. Mvg, Wbn 6. — Ib. *ex iis, quos* edd. *ex* | *quos* P. Quo casu deest *iis* in plerisque cdd. Cf. infra § 6 *non.*

23, 4 *senatoriis* C P m. 2. Hz. *senatoris* P edd., nimirum e communi more *ii* in *i* contrahendi. Fama ac mores senatorii sunt hominum senatoriae dignitatis, gravitatis, de quibus penes

unum hominem iudicium arbitriumque esse non oporteret. Cf. Proleg. 22, 26, 4 dictatoria.

23, 4 *sublecturum* Mog. Ald. Grut. Gron. Drak. Wbn, Mvg. *subuecturum* PC 1. 3. Asc. Al. *subfecturum* Hz. *suffecturum* Al. in erratis. *subiecturum* Lov. 5. alii recc. Soni quidem causa magis pro *subfect.* quam pro *sublect.* scribi potuit *subuect.* De usu verborum cf. Val. Max. 6, 4, 1 *Civitate nostra Cannensi clade perculsa — maiori parti senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat.* Varr. L. L. 5, 7, 69 *Collegae, qui una lecti: et qui in eorum locum suppositi, sublecti, additi, adlecti.* Tac. Ann. 11, 25 *quas* (familias) *dictator Caesar et princeps Augustus sublegere.* Just. 3, 3, 2 *populo sublegendi senatum vel creandi quos vellet magistratus potestatem permisit.* Liv. 2, 8, 4 *Creatus Lucretius consul moritur. Suffectus in Lucretii locum M. Horatius,* 5, 31, 6 *C. Iulius censor decessit; in eius locum M. Cornelius suffectus, nec deinde umquam in demortui locum censor sufficitur,* 27, 6, 15 *Sacerdotes Romani eo anno mortui aliquot suffectique,* 25, 2, 2 *in Lentuli locum* cet. *pontifices suffecti sunt.* Cic. Mur. 38, 82 *ne sufficiatur consul, non timent,* ib. 39, 85 *consul non in administrando bello, sed in sufficiendo collega occupatus.* Cic. or. in toga cand. fr. 5. *nescis te meo beneficio e postremo in tertium locum esse subiectum* (al. *sublectum*). Auct. b. Alex. 26 *quas* (copias) *integras vulneratis defessisque subiciebat.*

23, 5 *primus* auct. Glareano et Sigonio Grut. sqq. *senatus primus* PCM. *senator primus* 1. 3. Asc. Al. Mog. Ald. Frob. — 23, 6 *ex iis* edd. *ex his* PC Als.

23, 6 *magistratus hos non cepissent* scripsi. *magistratus cepissent* PC 1. 3. Asc. Al. Fabri. *magistratus non cepissent* e coni. Sigonii Gron. Drak. Crev. Bkr, Mvg, Wbn 6. *minores magistratus cepissent* e coni. Strothii Wbn 1. Complures vero edd., in quibus Asc. 1513, Mog. Ald. Grut. omittunt haec verba: *qui magistratus cepissent.* Alii aliter coniecerunt.

In P, id quod nondum admonitum est, in *magistratus* versus desinit, incipit proximus ab *cepissent,* quamobrem suspicari licet, quod probabile facit sensus huius loci, aliquid in eo transitu, ut fit, excidisse. Iam vero gradatim descendit Fabius in explendo

senatu, et quidem ita, ut ab antiquo more eos, qui magistratus gessissent, legendi non recessisse videatur: primos enim eos legit, qui curules magistratus, deinde eos, qui plebeios et minores gessissent, aedilitatem plebis, tribunatum et quaesturam; tum vero legit ex iis, qui magistratus hos non cepissent, sed tamen alios aliquos (velut qui tresviri capitales, monetales, decemviri stlitibus iudicandis fuerant), adeoque inferioris ordinis essent, ita tamen, ut ex hoc genere eos anteponeret, qui belli decoribus conspicui essent.

23, 8 *tempus hoc,* sc. quod ad privatas res in foro agendas opus esset. Harant, quia nulla temporis mentio facta sit, ad quod referatur *hoc,* legendum censet *hic.*

23, 9 *rediit* C P m. 2. edd. ante Als. Mvg. *redit* P Als. Wbn, Hz. Cf. § 4 senatoriis. Vid. ad c. 11, 1 *rediit.*

24, 3 *ac modice* edd. *ac demodice* P *(de* repetitum ex praecedentibus *de se pauca). atque modice* e coni. Drakenborchii F, Wbn 1. *ac permodice* coni. Gron.

24, 3 *creantur* e coni. Vossii Mvg. *crearentur* cdd. edd. Sequuntur haec: *Praetores inde creati sunt* cett.; itaque consules creatos esse hic potissimum narrari oportuit, non id tantum, dictatorem comitia edixisse, quibus consules crearentur, multo minus, quibus ante dicti crearentur; quod praeterea indicare non opus erat, ubi paulo ante relatum est eum ad consules subrogandos Romam venisse. Incuriae igitur librariorum ascribendus est coniunctivus ille *crearentur,* eodemque iure reiiciendus, quo 22, 19, 10 *eveherentur* inde a Gronovii tempore cessit indicativo *evehuntur.* Sunt in P haud pauca menda, quibus vel modi verborum mutati sunt vel amplificatione aut aliqua immutatione tota verba deformata, ut 25, 19, 15 *stetisset* (pro eo quod est *stetit*), 28, 42, 20 *occurrebat* (occurreret), 29, 15, 8 *retinerent* (retineri), 30, 29, 8 *coierunt* (coire), 27, 37, 14 *intercesserunt* (incesserunt), 28, 11, 11 *direxerunt* (edixerunt), 26, 31, 1 *devicturus* (dicturus), 24, 8, 16 *oppugnabant* (opponamus), 28, 7, 11 *decertat* (ceperat). Etiam ad nomina aliaque pertinet illa dilatandi consuetudo: 22, 1, 16 *divinis* (divis), 19, 9 *terrarum* (terra), 40, 8 *omnibus* (omni); 23, 18, 2 *sollicitudo* (solitudo); 24, 19, 7 *inmerito* (irrito), 20, 13 *hospitibus* (hostibus), 26, 13 *stipatio* (spatio), 31, 2 *civitatis*

(citatis); 25, 15, 18 *hibernis* (herbis), 22, 3 *volonorum* (volonum), 23, 6 *retinentibus* (retibus); 28, 24, 9 *discrimina* (disciplina). In tanta vacillatione non nimis anxie retinenda sunt, quae pugnant cum legitima verborum structura. De reliquo monendum, ut hoc, de quo disputamus, loco additur syllaba *re,* sic in verbis eam saepissime omitti, ut c. 25, 3 *attinet.*

24, 5 *rediit* edd. ante Als. *redit* P Als. sqq. Cf. c. 23, 9, c. 28, 4. — 24, 7 *inciderunt* PCM Bkr, F, Als. sqq. *inciderant* edd. ante Bkr. — Ib. *occiderent* PC edd. *ceciderent* 1. *acciderent* e coni. Douiatii Mvg. Vid. Epileg. ad 21, 35, 12 occiderent. Per translationem dicitur 5, 42, 4 *positi ad spectaculum occidentis patriae,* Sall. Iug. 2, 3 *omnia orta occidunt,* ib. 61, 7 *strenuissimus quisque occiderat in proelio,* Plin. Ep. 2, 10, 4 *fragilia et caduca occidunt desinuntque.*

24, 12 *sacerdotibus* e coni. Alschefskii Wbn, Mvg. *sacerdotis esse* P edd. ante Grut. *sacerdoti esse* Grut. Gron. Drak. F. *sacerdoti esset* Als.

25, 1 *acta* edd. *actam* P (urbem actam). *facta* coniiciunt e nonnullis cdd. Putsche et Harant, qui „Nisi fallor" inquit „fit solitudo, non agitur". De statu autem, qui permanet, vel in quo quis vivit, ut aiunt Graeci *εἰρήνην, ἡσυχίαν ἄγειν,* sim., sic etiam Latini pacem, otium, silentium agere. *solitudine per urbem acta,* i. e. dum solitudo p. u. agitur, sive dum solitudinem agunt. Saepe enim Livius participio perfecti sic utitur, ut compenset partic. praesentis passivi. Cf. 22, 41, 2 *occisis,* i. q. dum occiduntur. 21, 37, 4 et 49, 11 *absumptis, absumpto.*

25, 3 *Quod — — attineret* e coni. Gron. Bkr, F, Als. Wbn. *Quod — — attinet* P edd. ante Bkr. Dubitat Madvig, an scribendum sit: *quae — — attinerent.* Sed in illa locutione Livius forma plurali nusquam utitur. Post quod dictum *prospera modo essent* idem est atque prosperae modo res essent, dummodo omnia prospere evenirent.

25, 6 *nec, unde duo* partim ex edd. vett. Mvg. *nec undo* P. *ne secundo* P m. 2. (non, ut ferunt, *nec secundo,* nam super *c* ita positum est *se,* ut ante illam litteram inseratur). *duone* 1. 3. Al. Mog. Frob. Grut. *nec unde* Gron. sqq. Ubi numerum exercituum indicare e re erat, non frustra edd. vett. *duo* investi-

gaverunt; nam *unde duo* hic in *undo* P contracta habet plane eodem modo, quo 22, 60, 26 *qui uos* in *quos*, 22, 15, 7 *ipsa eum* in *ipsum*. Infra § 11 *deo* pro *de eo*, c. 28, 4 *edocuisse(t)* pro *edoctus esset*. — 25, 7 *qui eorum* P Gron. sqq. *qui* Ald. Frob. Grut. *eos qui* 1. 3. Mog.

25, 8 *ex dictatoris* edd. *ex in dictatoris* P. *ex Iuni dictatoris* e coni. Wbn, Hz. Non magis hic quam paulo ante dictatoris nomen referendum fuit. In versu superiore *in* ante *Italia* omissum alieno loco positum esse suspicandum est.

Ib. *nisi quod stip. leg. esset* 1. 3. Al. Mog. Frob. Grut. Crev. Mvg, Wbn 6. *nisi qui stip. leg. esset* P Drak. Bkr, Kreyssig, Hz. *nisi qui stip. leg. essent* e coni. Gron. Als. Wbn 1. Si stipendiorum legitimorum erat (stip. legitimorum numerum confecerat) miles ex dictatoris legionibus, domum reverti ei licebat. Id modo his praestitutum erat militiae tempus, non ut, quae durior sors fuit Cannensium militum, donec in Italia bellum esset, in Sicilia militarent.

25, 11 *prorogari* cod. Berol. Mog. Ald. Frob. Grut. Mvg. *propagari* PCM 1. 3. Al. Gron. Drak. F, Als. Wbn, Hz. Confusa esse inter se haec verba iam adnotavit Perizonius. Frequentissima est Livio locutio *prorogare alicui imperium in annum, in sex menses*, ut 9, 42, 2. 10, 32, 9. 22, 34, 1. 26, 28, 6. Nusquam propagare ita utitur. Aliud est propagare fines imperii, terminos populi Romani, sim.

26, 2 *mille* Als. Hz, Mvg, Wbn 6. *et* PC. *et mille* Wbn 1. *et quingenti* edd. ante Als. Littera illa ↀ vel ↀ, quae pro *mille* scribebatur, hic, ut infra c. 32, 5, pro *et* accepta est, adeoque numerus in coniunctionem mutatus, deinceps salva particula furtiva restitutus. Non commisso illo errore etiam nunc exstat in P c. 40, 2 *duo et XX milia peditum* ↀ c̄c̄ *equites*. Nec magis reliquis locis *et* accipiendum. De simili depravatione vide ad c. 37, 13.

26, 7 *equitum* e coni. Fischeri Wbn, Mvg. *peditum* P edd. ante Wbn. Cf. § 10. — Ib. *depopulandum* cdd. edd. *populandum* Mvg, quia „nusquam aut Livius aut ceteri absolute *depopulari* dixerunt“. At quod sequitur, *per agros passim dimisit*, quominus *ad depopulandum agrum* diceretur, impedimento fuit. —

Ib. *ut palantes* cdd. edd. *et ut palantes* e coni. Heusingeri Mvg. Vid. Proleg. ad 22, 18, 10.

26, 10 *flumine etiam obiecto tutum* e coni. Heerw. Wbn, Mvg. *tutum fl. et. obiecto tum* P Drak. F, Als. *tutumque fl. et. obiecto tum* edd. ante Drak. Transpositum *tutum* posterioris syllabae suo loco quasi umbram reliquit. — Ib. *recepit* PCM 1. 3. Al. Mog. Frob. Grut. Als. Wbn 1, Hz. *recipit* Gron. Drak. F, Mvg, Wbn 6. Cf. c. 2, 10 reliquit, 21, 33, 11 aluit. — Ib. *permuniit* cod. Berol. 1. 3. Mog. Ald. Frob. *permunit* Grut. Gron. sqq. Vid. ad c. 11, 1.

27, 4 *tumultuose* P 1. 3. Gron. Drak. Bkr, Als. Wbn, Hz, Mvg. *tumultuosi* Mog. Ald. Frob. Grut. F. — Ib. *nuntii refugientes* Mog. Ald. Frob. Grut. Crev. F, Als. Hz, Mvg. *nuntiares fugientes* P. *nuntiare fugientes* 1. 3. Al. *nuntiavere fugientes* (sublato, quod sequitur, *attulere*) e coni. Gron. Drak. Bkr. *nuntii ac refugientes* coni. Wbn. Nuntii primi ii ipsi erant, qui adpropinquantibus hostibus ex speculis refugerant.

27, 7 *corpora corporibus applicant* e coni. Weissenbornii Als. Hz, Mvg. *corporibus applicant* PCM. *corporibus applicantur* edd. ante Als. et Wbn. Vid. Epileg. ad 21, 50, 8.

27, 9 *pacto* Stroth, Bkr, F, Wbn, Hz, Mvg. *pacato* cdd. edd. rell. Non diu in condicione ac pacto mansit gens Tartesiorum. Deditio enim pacto continebatur. Aliud est in pacato manere, cui opponitur manere in hostico agro.

27, 11 *pro se* 1. 3. Al. sqq. *prope* P Als. Wbn 1. Hz (sc. *quem relinqueret, prope eos imperatores esse Romanos*). — Ib. *eos imperatores esse* P Gron. Drak. sqq. *imperatores esse* P m. 2. C Al. Ald. Frob. Grut. *esse imperatores* 1. 3. Mog.

27, 11 *possit* P cdd. rell. Al. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. F, Als. Wbn, Hz. *posset* 1. 3. Mog. Mvg. Scripserat Hasdrubal: Ii imperatores sunt Romani, quibus vix aequis viribus resisti possit (resistere possim). Iam vero Livius eam professionem imperatoris Carthaginiensis repraesentat, non rem tamquam a semet ipso narratam exponit. In quo statu narrationis variato saepe apud Livium a praeterito ad praesens transitum fieri constat. Vid. Weissenborn ad Liv. 3, 50, 8. 24, 33, 6.

28, 4 *edoctus esset* F, Wbn, Hz, Mvg. *edocuisse* P. *edo-*

cuisset P m. 2. C M Als. *edidicisset* e coni. Vallae edd. ante Fabrium. Ex altera coniectura Vallae, quae erat *edoctus fuisset*, correxit Fabri, non (ut refert Mvg) Alschefski. Vid. ad c. 25, 6. — Ib. *rediit* P m. 2. C rell., edd. ante Als., Mvg. *redit* P Als. Wbn, Hz.

29, 2 *propositum est* P edd. *propositum* Mvg. — Ib. *descensum* M Berol. Drak. Kreyssig, Bkr, F. *descensum est* P edd. rell.

29, 4 *Afris* Gron. Drak. F, Als. Hz, Mvg. *Afros* P edd. ante Gron. *Afro* Wbn. *ceteros afris* in *ceteros afros* mutatum solitis adnumerandum est accommodationibus. Praecedit plur. Afros.

29, 6 *ne multum quidem* P Al. Ald. Frob. sqq. *neque multum quidem* Berol. m. 2. 1. 3. Mog. *ne militum quidem* Berol. „Patet voces *multum* et *militum* in locum alterius alteram traiectas esse, et restitui debere: nam ne militum quidem aut n. aut g. multum hi“ cet. Harant. At non opponuntur milites imperatoribus, sed numeri generisque et animi militum discrimen servatur: differebant quidem etiam numero ac genere milites utriusque partis, sed vel si ea respiciebantur, non multum hi aut illi praestabant (haud ferme dispares spes erant).

29, 7 *eo* cdd. edd. *in eo* Mvg, qui post *m* (patriam) excidisse putat *in* (cf. supra ad c. 22, 6), quod in hoc genere loquendi addi solere monet. At cf. 3, 27, 7 *puncto saepe temporis maximarum rerum momenta verti,* 10, 39, 7 *quo maiore discrimine res vertebatur.* Tac. Ann. 5, 4 *brevibus momentis summa verti.*

29, 10 *cornibus* PCM Fabri, Als. Wbn 1, Hz. *in cornibus* edd. ante Fabrium, Mvg, Wbn 6. Habet P *nihilo segnibus cornibus,* quae ipsa temptata accommodatio documento est praepositionem *in* non interpositam fuisse. Neque vero ponenda fuit. Nam non in cornibus factum est illud proelium. Cum enim statim ab initio pugnae terga vertisset media acies hostium atque in medium tota iam coisset Romana acies, illic in interclusos Poeni et Afri, qui in cornibus locati fuerant, proelio ancipiti, a fronte et a tergo, pugnant, donec dimoti sunt. Infeliciter pugnari coeptum est fugientibus Hispanis, tamen *nihilo segnius cornibus*

proelium fuit, i. e. proelium cornibus commissum (cornuum sc. hostium proelium, Germ. das Gefecht der feindlichen Flügel, das Flügelgefecht) non ob id tardius fuit, vel neque eo minus cornua Poenorum fortiter pugnam capessiverunt. (Cf. 2, 47, 1 *nihilo segnius,* etsi ab altera parte cesserat Romana acies. Perperam interpretatur Doering „eo acrius“). Ut adverbia, sic etiam substantiva cum praepositionibus et casus obliqui substantivorum eo modo cum substantivis coniunguntur, quo ex ipsius linguae condicione verbum aliquod suppleri debebat, qua in re interdum conspiciuntur conatus adiectivi desiderati compensandi. Liv. 1, 21, 3 *ex specu fons* (sc. profluens), 32, 1, 9 *legati ab Ardea questi in senatu erant* (legati Ardeates), 3, 22, 2 *bellum a Volscis Hernici nuntiabant,* 28, 15, 4 *aestus a meridiano sole,* 28, 33, 9 *in arto pugna Romano aptior quam Hispano militi futura* (in arto loco commissa), 2, 23, 4 *testes honestarum aliquot locis pugnarum,* 42, 52, 5 *natura frater* (i. q. naturalis ibm et 44, 44, 2). Plura genera ablativi pro attributo usurpati sunt a Cicerone: de or. 2, 5, 20 *tot locis sessiones,* 3, 3, 10 *Carbonis eodem illo die mors,* Pis. 17 *exercitus nostri interitus ferro, fame, frigore, pestilentia,* Phil. 3, 6, 15 *natura pater,* Att. 5, 14, 1 *neque longas a me neque semper mea manu litteras exspectabis.*

29, 12 *iam ante* e coni. Gronovii Bkr, F, Als. sqq. *tandem* P m. 2. C edd. ante Bkr. Scriptura Puteanei, quam minus fideliter referunt, haec est *pulsis tantdanteme | diset.* Constat igitur *ante* cum duplici scriptura *tant* et *dant,* in qua inesse *iam* non satis certum est, nec id necessarium, si sufficit per se *ante.* Supra scriptis duabus litteris, ut ex *edis* fieret *mediis,* et quattuor expunctis corrector sive m. 2. ante *mediis* suppositum voluit *tandem,* quod tamen non valet nisi in id, quod tardius fit, quam exspectes.

29, 14 *videre* scripsi monentibus Luchsio et Riemanno. *viderent* P. *viderunt* edd. Cf. Prolegg. ad 22, 46, 6 stetere.

29, 15 *Et Hasdrubal* P edd. *Hasdrubal* e coni. Gronovii Mvg. Vid. Kuehnast Liv. Syntax p. 372.

29, 16 *spem reliquerat* (C m. 2.?) Bkr, F, Als. Wbn, Hz. *spe relinquerat* P. *spem reliquit* edd. ante Bkr. *spes reliqua erat* e coni. Gron. Mvg.

30, 7 *a defensoribus vasta* P. Drak. Crev. F, Als. sqq. *def. vasta* Gron. *a def. vastata* P m. 2. CM. *def. vastata* edd. ante Grut. *def. vacua* auct. Sigonio Grut., quod probabile videtur Madvigio. Nec tamen in P *vacua* in *vasta* facile mutatum est nec *vasta* per se quemquam offenderit (cf. 24, 2, 9), offendit vero praepositio *a* defensoribus vasta, quae ab omnibus ante Drak. eliminata est. Constat tamen *ab* interdum usurpari de iis, quae ex aliqua parte spectantur, ibique poni, ubi alias simplex abl., quo id exprimatur, cuius ratione habita aliquid dicitur, ut Cic. Fam. 10, 15 *Antonius ab equitatu firmus,* Caes. b. G. 3, 26 *cohortes intritae ab labore,* Sall. Iug. 92, 5 *mons omnis a natura praeceps,* Liv. 1, 32, 3 *regnum ab una parte haud satis prosperum.* Ut vacuus, vacuitas, vacatio, solitudo (Cic. Brut. 63 *erat ab oratoribus in foro quaedam solitudo*), sic etiam *vastus* cum praep. *ab* iam ab Ennio coniungitur: Enn. ap. Serv. Fuld. in Aen. 1, 52 *quae nunc abs te viduae et vastae virgines sunt.* Sall. Iug. 48, 3 *mons vastus ab natura et humano cultu,* i. e. cui nec natura nec cultus quicquam impertiverat. Non omnino vasta erat urbs Croton, sed vasta a defensoribus. Cum, quae dant codices, probabilia sunt, cedant probabilia alia.

30, 14 *cum honorem inisset* (sic enim corrigendum) C m. 2. Crev. SD, Rup. Mvg. *cum iboinisset* P. *cum ibonoinisset* P m. 2. *cum hono inisset* C. *cum in bono inisset* 1. *cum primum inisset* 3. *cum primum magistratum inisset* Al. Mog. Frob. Grut. Gron. *cum primum honorem inisset* Drak. Bkr, F, Wbn 1, Hz. *cum primo honorem inisset* Als. *cum consulatum inisset* Wbn 6. Cf. 8, 26, 7 acto honore triumphus. In P *i* post *cum* initio facto ibi *inisset* scribendi mansisse videtur. Ignotum est codicibus *primum.*

30, 16 *fecerunt* Al. Ald. sqq. ante Als., post Mvg, Wbn 6. *fecerant* P 1. 3. Mog. Als. Wbn 1, Hz. Quae saepius permutantur formae verborum.

30, 17 *iniit* C m. 2. edd. ante Als. *init* PC Als. Wbn, Mvg. Cf. 22, 1, 4. Vid. ad 23, 11, 1.

30, 18 *antea* P rell., edd. ante Bkr (*antea* Mog.). *ante bis* e coni. Perizonii Bkr, F, Hz. *antea bis* Als. Wbn, Mvg. Latere in littera *a* numerum II (bis) putavit Periz., negant qui *antea bi*

scribunt, ita ea causa *bis* addendi destituti. Constat quidem Q. Fulvium Flaccum *bis* consulem fuisse, id vero hic nominatim referre minime opus erat. Quia lege Marcia de censoribus cautum erat, ne quis bis censor fieret, in simili dicto *bis* non item ad censuram referendum esse patet; nihilo minus Livius, ubi adverbium numerale addit de consulatu, distinctius scribere solet: 25, 5, 3 de hoc ipso Fulvio: *qui et ante* (= qui ante et) *bis consul et censor fuerat.* 28, 45, 2 Q. Fulvius *consul quater et censor fuerat.*

31, 1 *ut eo* Ald. Frob. Grut. Crev. Hz, Mvg, Wbn 6. *ut quo eo* P Al. Gron. Drak. Bkr, Als. Wbn 1. *ut quo* 1. 3. Asc. Mog. Ex praecedentibus *quo die* repetitione scriptum *quo eo.* Sic c. 30, 15 ante verba *in foro dederunt* paucis interiectis iterum scriptum in edd. *per triduum.* Quod praecipue decretum est, *ut duplex tributum imperaretur,* id non est enuntiati secundarii *(ut, quo eo* cet.*).* Dissolute sequitur, quod ad hoc iussum est, *simplex confestim exigeretur;* vid. ad 22, 18, 10.

31, 10 *item uti* P edd. *item ut* Mvg. — 31, 12 *rediit* P scr. corr. (nam alterum *i* adposuisse videtur ipse librarius) C rell. edd. ante Als. Mvg. *redit* P scr. pr. Als. Wbn, Hz. — Ib. *consuli uni rogando* PC Als. Wbn, Hz. *consuli rogando* 1. *uni Consul rogando* 3. *uni consuli rogando* Asc. Al. Mog. Ald. sqq. ante Als. *consuli subrogando* Mvg. Nomini non perscripto *(cos* vel *cons)* accessit terminatio *uli,* quae in *uni* duplicata est, quod inepte additur. Ad arbitrium Mvg *subrogando.* Cf. 26, 22, 2 et 38, 42, 2 *comitia consulibus rogandis,* 22, 35, 2 *comitia rogando collegae,* 1, 17, 9 *in legibus magistratibusque rogandis.* — 31, 15 *pluvit* 3. Ald. Frob. F. *pluit* P 1. edd. rell.

32, 1 *exercitus Teani* Fabri sqq. *exercitus trani* P. *exercitus tradi* P m. 2. C. *exercitus* edd. ante Fabrium. — Ib. *Sempronio* P m. 2. edd. *sempronior* P, in quem errorem induxisse videntur litterae *ior* vocabuli, quod sequitur, *sociorum.* Ex isto autem *r* addito Alex. Tartara effingere voluit *Romae,* Alschefski *tirones* („ut Sempronio tirones volonesque fierent").

32, 1 *volones, qui fierent* C 1. 3. Al. Gron. Drak. Bkr. *uolonesque fierent* P Hz. *volonum quod fuerat* Mog. Ald. Frob. Crev. („Hi igitur volones eximuntur de exercitu, cui Fabius,

praefuturus erat, et traduntur Sempronio.“ Crev.). *volones, qui ibi erant* Fabri, Mvg, Wbn 6. Sic Fabri (an. 1840): „Si ex coniectura nostra ante legas: *exercitus Teani,* verisimile maxime videtur, quod Weissenb. coniecit: *qui ibi erant.* Nam volones Teani in exercitu dictatoris erant“. Madvig sibi hanc coniecturam vindicat, qua Weissenborn ipse in prioribus edd. abstinuerat *(praeter volones, qui Semproni fierent* Wbn 1*)*, neque id sine causa, nam *volones qui ibi erant* in *volonesque fierent* abiisse minus simile veri est, ex consuetudine autem *que* enclitici ex similibus vocabulis creandi *volones qui* in *volonesque* vertit, vid. Proleg. ad 22, 1, 1. Coniunctivus *fierent* („durch den in *diviserunt* liegenden Begriff der Bestimmung veranlafst“, Wbn 1) convenit cum sequentibus *redissent* et *praesideret.* Iam constitutum est, ut ex iis volonibus (fortasse numero auctis), qui antea lecti (22, 57, 11) Teani fuerant, exercitus ille volonum (duae legiones volonum), cuius in sequentibus saepius mentio fit, efficeretur. Vid. 24, 10, 3; 11, 3. 25, 20, 4. Adeo maior pars legionum, quibus praefuit Gracchus, ex volonibus constabat (nec praeter eos alii fuerunt): 23, 35, 6. 24, 14, 3; 16, 9. Recte Heusinger: „dem Sempronius beschied das Los die sämtlichen Freiwilligen vom Sklavenstande“, idque ita, ut tum primum exercitus volonum fieret.

32, 5 *mille quingentos equites* Als. *et D equites* P. *et mille quingentos equites* Grut. Gron. Drak. Wbn. Mvg. *[millle] et quingentos equites* Hz. Vide supra ad c. 26, 2. Ibi Alschefskium pari modo emendantem omnes secuti sunt, hic nemo.

32, 9 *diuturnitate imperii Romani* e vestigiis P. *diuturnitate imperi R.* P, ubi R expunctum est. *diuturnitate imperii* edd. Non sine molestia adiectivum illud desideratur.

32, 16 *Terentianum militem Tarentum* coni. Hz. *Terentianum* cdd. edd. ante Fabrium, qui primus *Tarentum* addidit, quod propter praecedens *Terentianum* excidisse intellexerat Dukerus. Praeterea *militem* addidit Hertz, *exercitum* Mvg, quod ex praecedente audire satis habuit Wbn.

32, 17 *datae* PCM Als. sqq. *M. Valerio datae* edd. ante Als. Valerii nomen repetere, idque addito hic primum praenomine, non bene convenit.

33, 2 *quo propior* 1. 3. Mog. Crev. SD. Mvg. *quod propior* P Al. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. F, Als. Hz, Wbn. Cf. 1, 23, 8 *quo propior es, hoc magis scis.* Recedit paulum quae iungitur explicatio: *ac mari tantum* cet., i. e. ut qui mari tantum Ionio discretus erat. *quo* in *quod* nullo negotio mutabatur.

33, 4 *tertia iam pugna tertia victoria* PCM *(tertiam victoria* P*). tertia iam pugna, tertia victoria* edd. *(tertia iam vict.* Als.).

Postquam tertia iam pugna tertia victoria cum Poenis erat (sive a parte Poenorum erat), i. e. postquam tertium iam pugnantibus Poenis tertium victoria fautrix fuit, vel quot pugnae fuerant Poenorum, tot victoriae. Cum ablativo illo *tertia pugna* haec conferenda: 27, 30, 2 *Philippus mille hostium utraque pugna occidit,* 23, 21, 7 *qui ceciderant pugna Cannensi,* 28, 34, 2 *ducenti eo proelio ceciderant,* 31, 21, 18 *dux eo proelio cecidit* (cf. Nep. Paus. 1, 2), 3, 63, 2 *non aliorum eo proelio virtus magis enituit,* 1, 37, 3 *Eo proelio praecipua equitum gloria fuit,* 23, 40 4 *tria milia eo proelio caesa,* 22, 49, 1 *primo statim proelio funda ictus,* 2, 47, 10 *pro eximia eo bello opera,* 10, 28, 15 *P. Decius bello Latino se iusserat devoveri.*

Incisum in editionibus est ante *tertia victoria,* ut sit anaphora, ac *tertia iam pugna* pro nominativo habeatur, ad quem aliud praedicatum (fuerat?) ex sequenti intellectum volunt; quae est explicatio longe petita ac satis implicata.

33, 7 *Praetor* Fabri sqq. e coni. Mureti. Omissum est in P (post *populum Romanum*, quod simili compendio scribebatur) atque in edd. ante Fabrium, quae addito nomine sic habent: *Inter defectiones veterum sociorum Valerius nova* cet.

33, 8 *demonstrent* cdd. edd. *demonstrat* e coni. Gronovii Mvg. *itinera cum cura demonstrent, quae loca* cet, i. e. itinera demonstrent et dicant (indicent), quae loca cet. Tum itinera tum loca vel a Romanis vel ab hostibus obsessa accurate demonstrare ducum itineris erat, non praetoris procul manentis.

33, 11 *debellatum esset in Italia* P Als. Hz. *debellatum esset* edd. rell. Bellum et in Italia et in Graecia communiter gerendum Philippus et Hannibal e foedere his legibus sumpserunt, ut primum in Italia debellarent, quo facto tota statim Italia

Carthaginiensium esset, ubi vero deinceps in Graeciam navigassent ibique bellum gessissent, Graecae civitates atque insulae Philippi regnique eius essent. Itaque non tum demum, cum utroque loco bellum ad finem perductum esset, Carthaginiensibus Italia cederet. — Ib. *Italia omnis* edd. *omnis* P, omisso nimirum, quod alio casu forma eadem iterum scriptum fuerat, nomine.

33, 12 *regi* e coni. Crevierii Bkr sqq. *regibus* P edd. ante Bkr; qui error accommodatione ad *quibus* ortus est.

34, 2 *ad regis ipsius firmandam fidem* cdd. edd., i. e. ut regis ipsius (a rege ipso) iure iurando firmaretur fides, quam per legatos dederat. Gerundivum hic, ut nonnumquam gerundium, passive accipiendum est. Nam qui ius iurandum alicuius accipiunt, ut hic legati Carthaginienses, non dicuntur fidem firmare. „Fortasse scribendum *firmandum fide* (foedus)", Mvg. Quae durior esse videtur ratio.

34, 3 *e classe* Wbn 1. *classe* P (omissa praep. in versibus mutandis). *a classe* edd. ante Als. Mvg, Wbn 6. Cf. Nep. Milt. 7, 3 *lucus ex insula conspiciebatur.* Cic. Att. 2, 35, 89 *vehiculum Argonautarum e monte conspexit.* Plin. N. h. 2, 25, 94 *sidus crinitum omnibus e terris conspicuum.*

34, 4 *cercuros* Gron. Crev. Drak. F, Mvg. *cercyros* P Als. Wbn, Hz. *Corcyreos* edd. ante Gron. Est Graecum nomen κέρκουρος. „*Cercurus* est navis Asiana praegrandis", Non. Marcellus. Eadem velox.

34, 4 *vinci senserunt* P Al. Gron. Drak. F, Als. Wbn, Hz. *victi cesserunt* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. *se vinci senserunt* Mvg. Haec adnotaverat Doering: „Fortasse *se* post *vinci* absorpsit sequens syllaba *sens.*"

Ut de pronomine omisso recte iudicetur, loquendi usus paulo diligentius est exquirendus. Saepe enim oratio ita est comparata, ut in verbo omnis vis posita sit, pronomen simul audiatur. Itaque non solum in longiore oratione obliqua, sive quis de se vel de se una cum aliis, sive de alio vel aliis loquitur, sed etiam ubi separatim verba cum accusativo pronominis (subiecti) ponenda erant, accusativus ille interdum non exprimitur, quamquam tenendum est omnino plenam locutionem cum in aliorum scriptis tum apud Livium propriam esse et legitimam.

Ubi hoc loco in codicibus scriptum est *celeritate vinci senserunt,* concinnitati suavitatique soni evidenter consulitur. Nam languidum aut certe minus gratum videbatur istud *vinci se senserunt, tradunt se Romanis.* Non placebat idem pronomen bis in propinquo positum. Docent id alii loci, ubi in enuntiato aequali idem vel sequitur vel antecedit pronomen: 7, 36, 10 *credere* (= credere se) *aliquos ad se sequendum vagari,* 29, 19, 12 *inambulare* (i. e. inamb. eum) *in gymnasio, libellis eum operam dare,* 25, 18, 8 *simulantem parcere* (i. e. se parc.), *cui sciat parem se non esse,* 1, 23, 5 *satis scire ea se adlaturum,* 29, 5, 5 *satis scire Lucretium se cum Livio iuncturum,* 2, 47, 10 *triumphum passurum respondit, se lauream non accepturum,* 40, 21, 6 *non posse oblivisci Antigoni; memorem se praecepti eius duos simul filios non commissurum in aleam eius casus.* Cf. 40, 4, 8 *Poris deportaturum eos dixit, comitemque ipsum futurum esse.* 9, 41, 9 *relicto post se Decio Romam ituros magnifice de se loquentes,* 21, 24, 4 *hospitem se Galliae advenisse, nec stricturum gladium,* 7, 41, 2 *sibi se privatim nihil cavere, nolle alibi quam in innocentia spem habere.* Sic saepissime, ubi praecedit pronomen cum infinitivo, id in enuntiato quasi uno tenore sequente non repetitur. 42, 24, 7 *se alia, quae possent, Masinissae honoris causa et fecisse et facturos esse; ius gratiae non dare.* 7, 16, 4 *si pollicemini vos operam navaturos, nec praedae magis quam pugnae paratos esse,* 9, 3, 10 *priore se consilio pacem firmare, altero consilio bellum differre,* 29, 16, 7 *Locrenses se dixerunt esse, ea passos* cet., 39, 12, 6 *se initiatam ait, aliquot annis nihil, quid ibi fiat, scire,* 23, 5, 15 *nec Hannibal se vicisse sentiet nec Romani victos esse,* 24, 13, 2 *partem se iuventutis perpulisse referunt legatosque ab suis missos rogare* cet., 10, 26, 2 *quonam modo se oblivisci Decii posse? Neminem omnium secum coniungi malle,* 2, 45, 12 *Ego istos posse vincere scio, velle ne scirem, ipsi fecerunt,* 7, 32, 12 *facta mea vos, milites, sequi volo, nec disciplinam modo, sed exemplum etiam a me petere,* 8, 32, 6 *vetuerimne te quicquam rei me absente agere, vetuerimne signa cum hostibus conferre.* 9, 37, 4 mansuros *se* sub armis et castra hostium *invasuros.* 10, 24, 7 *in senatus arbitrio se fuisse et in potestate populi futurum.* 24, 14, 7 *qui caput hostis rettulisset,*

eum se liberum iussurum esse, qui loco cessisset, in eum animadversum. 24, 23, 7 *Ab Hannibale se missos praedicant, paruisse imperio eius.* 26, 3, 4 *Non se inopia in loca iniqua deductum, vi aperta victum.* 27, 12, 12 *urgere atque instare eum, non castra ponere pati.* 28, 34, 8 *Scipio illos quidem merito perisse ipsorum maleficio ait, victuros suo beneficio.* 28, 35, 10 *cupere se populo R. operam navare, in qua genitus esset terra, praestaturum.* 27, 9, 11 *non Campanos esse eos, sed Romanos; inde oriundos, inde in agrum bello captum missos.* 28, 7, 15 *se neque causam eius belli fuisse nec moram paci facturum.* 32, 33, 16 *Lysimachiam occupasse eum, Cium funditus evertisse.* 37, 10, 9 *Omnium se rerum apparatum omissurum, non remigem habiturum, subducturum quasdam naves* cet. 44, 14, 6 *et ad id tempus se cum Romanis stetisse et, quoad bellum foret, staturum.* — Raro per zeugma auditur iterum pronomen: 7, 20, 7 *Eos seu dedi placeat, dedere se paratos esse, seu supplicio adfici, daturos poenas.* 23, 12, 10 *non desisse poenitere me belli, neque desiturum ante imperatorem incusare, quam* cet.

Pari modo, qui cum infinitivo praecedit accusativus nominis, supervacaneus fit in sequenti. 1, 41, 5 *sopitum fuisse regem; iam ad se redisse.* 2, 2, 3 *non placere nomen; periculosum libertati esse.* 8, 34, 5 *L. Papirium nihil eius* (maiestatis) *deminuturum; optare* cet. 9, 14, 14 *minime consules cessisse, quin duces supplicii futuros fuisse.* 9, 9, 6 *Quid tandem, si spopondissemus urbem hanc relicturum populum R.? si incensurum?* cet. 10, 20, 6 *ad Volturnum flumen sedere hostem, inde tertia vigilia moturum.* 27, 33, 11 *deos immortales pepercisse innoxiis exercitibus, temeritatem consulum ipsorum capitibus damnasse.* 9, 26, 12 *dictatorem magistrumque equitum reos esse, intellecturosque ita id esse, simul magistratu abissent.* Cf. 21, 30, 2 *Per tot annos vincentes eos stipendia facere neque ante Hispania excessisse quam* cet. Pro accusativo dativus antecedit 24, 48, 3 *gratam eam rem fore senatui populoque R., et adnisuros* (sc. senatum populumque R.) *ut gratiam referant.* Sic etiam in pronomine interdum ex dativo antecedente petendus est accusativus: 1, 31, 8 *non solum nullam ei oblatam caelestium speciem, sed fulmine ictum* (sc. eum) *conflagrasse.* 21, 13, 8 *haud despero,*

cum omnium potestas ei facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. 21, 43, 16 *Cui si quis demptis signis Poenos Romanosque ostendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit consul.* 21, 50, 8 *Ei Hiero classem obviam duxit gratulatus* (sc. ei) *sospitem* (sc. eum) *advenisse.* 39, 5, 7 *sibi centum pondo auri a civitatibus collatum, petere, ut id aurum secerni iuberent.* — Nonnumquam nomen aliquod eiusdem enuntiati respicitur: 1, 36, 4 *cum ille augurio rem expertus profecto futuram dixisset.*

Accusativus pronominis obiecti vel praedicati supervacaneum facit idem pro subiecto positum. 7, 14, 2 *multitudini concitatae non subtraxisse se ducem* (= se non subtr. se). 40, 44, 8 *Fulvius liberare et se et rem publicam dixit velle.* 6, 28, 7 *ubicumque esset Latinus hostis, satis scire eum esse, quem ad Regillum devicissent* (i. e. eum hostem eum esse). Cf. Caes. b. G. 2, 3 *se suaque omnia in fidem populi R. permittere,* 5, 20 *pollicentur sese ei dedituros,* 7, 89 *ad utramque rem se illis offerre.*

Ubi accedit adiectivum vel participium, id magnum adiumentum adfert ad pronomen excludendum. 1, 37, 3 *ab cornibus positos — ita incurrisse.* 2, 31, 11 *suam vicem indignantem magistratu abisse.* 3, 13, 3 *semianimem inter manus domum ablatum.* 3, 61, 1 *illo die primum liberos pugnare.* 7, 12, 4 *occasione fretos venisse.* 7, 20, 5 *Eane meritos crederet quisquam hostes repente factos?* cet. 9, 14, 7 *deceptos potius, quodcumque casus ferat, passuros.* 10, 12, 2 *haud inviolatos abituros.* 22, 24, 5 *intentum sciret esse.* 23, 43, 12 *non pares Hannibali futuros.* 27, 35, 8 *omnia gesturos timentes* cet. 29, 21, 1 *in exilium euntem in Metellum incidisse.* 31, 30, 10 *armis repulsum in delubra saevisse.* 38, 18, 15 *ex vicis frequentes demigrasse.* 39, 24, 1 *armis subactos parere.* 40, 21, 8 *invitum parere.*

Quod enuntiato relativo determinatur pronomen, saepe omittitur. 3, 69, 7 *pro desertore futurum, cuius non probassent causam.* 8, 18, 2 *venenis absumptos, quorum mors infamem annum pestilentia fecerit.* 21, 12, 4 *moriturum, qui sub condicionibus iis de pace ageret.* 28, 40, 3 *frustra habiturum orationem, qui — dixerit.* 31, 18, 6 *proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent;* 34, 32, 12 *miseri parentes, quos falso lugent, vivere sciant.* 22, 39, 7 *qui tantas iam nunc procellas ciet, quid*

inter armatam iuventutem censes facturum? 29, 20, 3 *qui enim convenire, quem modo civitas delegerit ducem, quem — spe destinaverit Hannibalem ex Italia detracturum, repente prope damnatum ex provincia revocari?* (Hic, etsi participium quoque adminiculo est, *eum repente* scribunt. *eum* abest a P.)

Ceterum vel nulla accedente eius modi causa solus infinitivus ponitur ad multa verba, quibus denotatur cognitio, sententia, animi iudicium vel adfectio, significatio, professio, dictum, edictum, promissum, confirmatio, fides, ius iurandum: qualia sunt scire 22, 24, 5; 51, 2. 40, 25, 10. meminisse 45, 13, 15, sentire 23, 34, 4; credere 3, 35, 10. 24, 18, 14. 25, 8, 10. 28, 26, 14. 30, 32, 11. reor (ratus) 21, 12, 4. 27, 9, 8. 31, 18, 6. 40, 4, 6 dubitare 36, 41, 2. pro certo habere 6, 6, 13. 9, 1, 11. 21, 43, 16. censere 22, 39, 7. aequum censere 6, 18, 11. 9, 14, 5. 22, 32, 6; 60, 7. 24, 29, 8. 42, 29, 3. sperare 1, 37, 6. spes erat 2, 46, 1. spe 25, 26, 2. 26, 39, 10. desperare 21, 13, 8. 31, 37, 11. 32, 35, 2. suspicere 40, 21, 8. erubescere 10, 8, 5. iactare 9, 41, 9. indignari 26, 31, 3. 45, 34, 7. gratulari 21, 50, 8. prae se ferre 42, 10, 10. significare 21, 27, 7. nuntium mittere 22, 50, 4. edocere 22, 13, 5. denuntiare 10, 12, 2. 42, 10, 15. minari 6, 17, 6. minae 6, 38, 8. 7, 15, 2. 37, 43, 3. vociferari 40, 36, 4. profiteri 31, 1, 2. contendere 8, 16, 7. adfirmare 29, 12, 9. auctorem esse 23, 12, 1. memorare 21, 34, 2. adiicere 27, 44, 9. hoc sermonis erat 28, 14, 5. fama erat 27, 22, 8. vulgatum erat 28, 45, 1. dicere 5, 22, 6. 21, 18, 14. 23, 13, 1. 27, 19, 12. 30, 22, 5. 37, 6, 7. 40, 4, 8. 41, 10, 7. 45, 44, 6. aio 1, 58, 4. 27, 19, 9. 32, 35, 3. negare 3, 24, 7. 7, 21, 1. 21, 25, 7. 23, 3, 11; 10, 6. 32, 40, 2. 39, 12, 3 et 8; 43, 3. 42, 10, 12. abnuere 42, 55, 3. dissimulare 28, 43, 4 (P). simulare 25, 18, 8. respondere 2, 47, 10. 27, 17, 15; 40, 8. 39, 11, 5. 45, 44, 10. edicere 7, 14, 5. iubere 1, 12, 7. 2, 12, 14; 35, 1. 3, 22, 6. 8, 32, 16. 23, 25, 1; 45, 1. vetare 1, 53, 10. polliceri 21, 50, 9. 28, 23, 6; 45, 14. 32, 19, 4. 42, 17, 8; 26, 8. spondere 7, 15, 1. fidem dare 23, 9, 9. praedes accipere 5, 55, 3. pangere 32, 5, 4. iurare 24, 18, 5. 43, 16, 15. iure iurando adigere 2, 1, 9. 40, 41, 8. ius iurandum 2, 2, 5. sacramentum 22, 38, 3.

Non solum in enuntiato, quod pro obiecto valet, deesse potest ad infinitivum accusativus pronominis, sed etiam in eo, de quo aliquid praedicatur, ut ubi sequitur verisimile est 21, 38, 4, melius visum est 27, 45, 12, apparuit 7, 12, 4. 27, 44, 2. 37, 39, 6, apparuit causa 2, 31, 11, fuit iusta causa 7, 30, 5; quem locum usitatae omissionis immemores omnes, quod sciam, falso interpretantur (velut Klaiber: Zwar immer war für euch schon dies ein genügender Grund zur Freundschaft, dafs derjenige, welcher euch aufsuchte, euer Freund zu werden wünschte). Nam ubi antecessit *apud vos* et sequitur *vobis,* nolebat Livius, quod poscit sensus, *velle vos* scribere, i. e. adesse vobis voluntatem tantummodo cupere vos amicitiam eorum, qui vos appeterent. Eos vero, qui amicitiam Romanorum appetebant, ipsos eorum esse voluisse amicos, per se patet. Romanis autem cur et ipsis amicitia haud aspernenda fuerit Campananorum, iam ratio adfertur.

Qui accusativo pronominis destitutus cum ipso verbo dicendi vel similibus coniungitur infinitivus plures nonnumquam secum trahit pariter destitutos, ut 27, 19, 9 sq. 28, 45, 14—17. 40, 44, 8 *dixit velle; vovisse* cet. Vulgo autem a remotiore verbo, aut ex eo, quod inde deductum cogitatur, ut omnino amplior oratio obliqua, sic ea regitur, in qua omissum invenitur pronomen subiecti; quod tum fere fit, cum ad similitudinem quotidiani sermonis accedit quodommodo oratio, etsi saepe pondus aliquod habet infinitivus ille solitarius. Respicitur modo subiectum enuntiati primarii, modo aliud aliquod. Illius generis exempla, ubi pron. reflexivum pro subiecto cogitandum est, haec sunt etiamnunc referenda: 1, 9, 4; 23, 5 satis scire, 1, 41, 5 confidere, 1, 53, 11 credere, 2, 45, 8 animadversuros, 3, 13, 3 arbitrari, 3, 61, 5 nolle, 3, 69, 5 orare, 4, 41, 5—7 credere — arbitrari, 5, 36, 2—4 credere, velle, dimicaturos, 7, 20, 5 factos, fecisse, 9, 4, 3 missurum, 10, 7, 8 pro certo habere, 10, 11, 13 orare, 10, 16, 4—8 expertos esse, temptasse, petisse, rebellasse, scire, secuturos, 21, 38, 5 audisse, amisisse, 22, 37, 6 advexisse cet., 22, 60, 10 posse, 23, 10, 13 malle, 23, 43, 12—14 futuros, nolle, spondere, 24, 6, 5 velle, 24, 14, 6 dimicaturum, 24, 22, 3 laudare, laudaturum, 24, 23, 7 velle, petere, 24, 30, 4 arbitrari, 24, 48, 3—6 adnisuros, habere, ignorare, 26, 3, 4 victum (esse), habuisse, 27,

9, 2 sq. exhaustos esse, remitti, ablegari, 27, 10, 3 daturos, facturos, 27, 36, 4 pro comperto habere, 27, 45, 4 daturum operam, 28, 35, 11 sperare, 29, 5, 5; 8, 4 satis scire, 29, 19, 2 expertos esse, 31, 11, 14 petere, 31, 19, 2 reddidisse, missuros, 31, 20, 3 non accepisse, 31, 48, 5 existimaturos esse, 33, 40, 6 venisse, condere, 35, 8, 8 censere, 38, 8, 6 nolle, 39, 5, 8 petere, 39, 12, 6 nihil scire, 39, 15, 6 ignorare, 39, 26, 12 scire, 40, 42, 2 misisse, 40, 44, 9 vovisse, 42, 24, 7 fecisse cet., 42, 26, 8 adisse, invenisse, 42, 38, 5 facturos, 43, 14, 5 dicturos esse, 44, 14, 7 pollicitum, petere, 45, 44, 10 missuros cet.

Cum aliis tum his locis ob subiecti diversitatem pron. demonstrativum aut personale intellegendum est: 1, 9, 15 usuras, 1, 31, 8 conflagrasse, 2, 28, 7 habituros, 3, 13, 3 ablatum, 5, 2, 5 inventuros, 6, 17, 5 pati, 6, 28, 6 reformidaturos, 6, 39, 11 perlaturos, 7, 14, 10 degressos, 9, 26, 12 intellecturos, 9, 37, 6 scituros, 10, 2, 6 vidisse, 10, 35, 7 contineri, 21, 30, 2 excessisse, 21, 50, 8 advenisse, 22, 51, 2 venisse, venturum, 23, 12, 1 explesse, 23, 43, 12 futuros, 24, 48, 3 adnisuros, 25, 8, 10 commeare, 27, 4, 6 misisse, voluisse, 27, 9, 6 cogitaturos, 27, 44, 7 posse, 29, 8, 3 sq. habituros, futuros, 29, 19, 12 inambulare, 29, 21, 1 incidisse, 30, 32, 2 scituros, 31, 30, 10 saevisse, 31, 48, 4 potuisse, 37, 4, 9 adductos esse, 38, 18, 15 demigrare, 39, 24, 12 parere, 39, 25, 8—10 abduxisse cet.

Quam descripsi ex optimis libris manu scriptis omissionem pronominis, ad hodiernum diem ex parte minus placuit editoribus. 21, 27, 7 iam Rhenanus et Gronovius *se transisse* scribebant, Madvig ed. 1. *transisse se.* „Vix reperientur“ inquit „certa exempla omissi pronominis reflexivi apud perfectum infinitivi nisi in longiore contextu orationis obliquae“ (novit autem duo exempla, relegat tertium). Congruenter huic praecepto, de quo plura infra dicam, Riemann 23, 5, 15 *se victos esse* scriptum voluit. Ubi tamen ob id quod accedit *se vicisse* etiam minus repetere oportet pronomen. Coniecit Tan. Faber 24, 13, 2 *legatos se ab suis missos rogare.* Ante Gronovium scribebatur 23, 13, 1 nescire *se,* 25, 26, 2 redacturum *se,* 27, 19, 9 *se* esse ait, 40, 44, 9 vovisse *se* (abest tamen ab ed. Mog.), 30, 22, 5 meminisse *se.* Hoc *se* repetivit Luchs, reliqua deseruntur. At 28, 34, 9 *se* ad *relinquere,* 29, 20, 3 *eum* ad *revocari* iam diu addunt. Est in P 28, 43, 4 *quoque niti non dissimulo* (quoque = et quo); dicitur enim *non dissimulo niti* eodem iure, quo *simulo parcere* 25, 18, 8, sed explicatius edd. vett. *quo me quoque niti non diss.,* quam scripturam acriter defendit Madvig (Em. p. 413) in pronomine *me* omne pondus orationis situm esse adfirmans, quod tamen etiam in verbo inesse dici potest: ipsum nisum et studium non dissimulat Scipio. Ut hic Weissenbornium vehementer reprehendit, sic probat quod ille 42, 29, 3 *se arma ferre* scripsit, quia „pronomine omisso necessario contra sententiam infinitivus, qui est *ferre,* ad Romanos referretur“. At vide, ne hoc praecipue dicatur, omnino non posse id aequum censeri, adversus fratrem uxoris aliquem arma ferre. Alschefskium secuti omnes recentissimi pro codicum scriptura exhibent 27, 9, 2 *stipendiis se exhaustos esse.* Habet P *stipendissexhaustos,* quae iteratio litterae *s* finalis, utpote quae usitatissima est, minus digna est, quae spectetur, quam quod adest accusativus participii, apud quem accusativum pronominis supervacaneum esse frequentia docent exempla. E coni. Gron. et Crev. iam omnes fere scribunt 27, 44, 9 *haud cum ignoto eum duce C. Nerone congressum.* Ubi P *haud cum ignoto cum duce* cet. Nam *cum,* ut fit, festinantius scriptum deinde suo loco iterum positum est. Voluerat Livius *haud ignoto cum duce;* cf. 21, 1, 2 *haud ignotas belli artes.* Adest hic quoque accusativus participii, ad quem non repetito pronomine (praecedit *hunc coegisse exercitum*) Hasdrubalem facile intellegimus. Delendum igitur *cum* ante *ignoto* insinuatum, servandum alterum. Non exstat in ed. Mog., quod Drakenborchium secutus inserit Madvig 40, 42, 2 *se* ante *legatos misisse.* L. Duronius praetor res in Illyrico gestas exponit. Nullo praeeunte non solum eo loco, a quo exorsi sumus, sed etiam aliis idem vir doctissimus contra codices pronomen in contextum inseruit. Scripsit 24, 29, 8 *Leontinos quoque aequum censere liberos se esse.* Cf. 22, 60, 7. 42, 29, 3. Idem 45, 13, 15 *Masinissam meminisse, se regnum a p. R. partum habere.* At meminisse, ut scire, cum solo infinitivo ponitur. Porro 45, 34, 7 *expertes regiae praedae se esse indignabantur.* Sufficit certe *expertes esse indign.,* ut 26, 31, 3 *passos esse hostilia indignatur.* Accedit pariter adiectivum 32,

35, 3 *inopem consilii diem consumpsisse deliberando aiebat.* Neque eo minus *se consumpsisse* scriptum oportuisse adnotavit Madvig, ut quod esset in codd. recc. Revocavit autem, quod in ed. 2. scripserat 22, 60, 7 *praeferrique se — aequum censuerint.* „Nollem" inquit „secutus essem Wesenbergium in pronomine addendo". Em. Liv. p. 341. 12, 23, 5 *missos esse* in *missos se* mutavit.

In tanto studio aliorum pronominis addendi, ubi legitur 22, 37, 4 *se omnia — misisse,* Luterbacher e contrario nulla causa adlata *se* delevit. Tamen pronomen, quod ibi a codicibus firmum est, non sine pondere exprimitur. Id enim dixisse fertur Hiero, se, etsi sciret, quam admirabiles essent rebus adversis Romani, commeatum tamen et auxilia iis misisse. Veteres quaedam editiones his locis *se* eliserunt: 1, 23, 5 *satis scire ea se adlaturum,* 21, 10, 3 *monuisse, praedixisse se,* 23, 22, 5 *magnopere se suadere dixit.*

Quod docuit Madvig de pronomine reflexivo apud infinitivum perfecti praesertim passivi etiam in oratione obliqua rarissime omisso, id cum exemplis iam adlatis minus convenit, velut 10, 16, 4. 21, 38, 5. 22, 37, 6. 26, 3, 4. 31, 19, 2; 20, 3. Ceterum, utrum sit pron. reflexivum, an variante subiecto demonstrativum, nihil sane refert, eademque extra longiorem contextum orationis obliquae est omissio. 23, 5, 15 *victos esse,* 27, 9, 2 *exhaustos esse,* 37, 4, 9 *adductos esse,* 26, 31, 3 *passos esse,* 30, 32, 11 *vicisse iam crederes,* 7, 20, 4 *Eane meritos crederet quisquam hostes repente factos?* 3, 13, 3 *mortuumque inde arbitrari,* 27, 19, 10 *effusum in praeceps, captum esse,* 8, 18, 12 *illud pervelim proditum falso esse, veneno absumptos.* Apparet igitur in hoc infinitivo modo addi *esse,* modo omitti (id quod negat Madvig Gram. § 401). De infinitivo futuri activi disceptatio fuit, quatenus omisso pronomine subiecti omitteretur itidem *esse;* quod quidem vulgo fieri exempla Liviana plus septuaginta docent, dum quattuordecim tantum locos inveni, ubi adponeretur *esse,* quorum nullum in prima, duos in tertia decade, nec omnino nisi quattuor ante librum quadragesimum. Sunt hi: 22, 50, 4 *abituros esse,* 28, 23, 6 *prodituros esse,* 31, 48, 5 *existimaturos esse,* 33, 49, 4 *facturos esse,* 40, 4, 8 *futurum esse,* 40, 21, 6 *remissurum esse,*

40, 36, 4 *venturos esse,* 40, 41, 8 *esse delaturos,* 41, 10, 7 *futuros esse,* 42, 10, 15 *abituros esse,* 42, 24, 7 *facturos esse,* 43, 14, 5 *dicturos esse,* 44, 19, 14 et 45, 44, 10 *habituros esse.* E contrario monendum, ubi desit *esse* in hoc infinitivo, pronomen interdum reperiri: 1, 23, 5 *se adlaturum,* 1, 41, 5 *ipsum eos visuros,* 3, 69, 7 *se daturos tempus,* 4, 10, 1 *abducturum se Volscos,* 6, 28, 9 *se ita pugnaturos,* 6, 39, 12 *nec se nec illos habituros,* 6, 42, 10 et 13 *se auctores futuros negabant — se id facturos,* 7, 14, 3 *se acturum,* 7, 20, 7 *eos daturos poenas,* 10, 10, 2 *se accepturos,* 10, 35, 6 *se facturos,* 21, 18, 14 *se gesturos,* 21, 24, 3 sq. *se processurum* cet., 21, 50, 10 *sese praebiturum,* 24, 46, 3 *sese habiturum,* 27, 28, 14 *fidenti retenturum defensurumque se urbem,* 39, 54, 6 *bellum se gesturum,* 40, 44, 6 *sese facturum.*

34, 8 *aut ad* auctore Curione Grut. Gron. Drak. Mvg, Wbn. *aut* P 1. 3. Mog. Ald. Frob. Als. Hz.

34, 12 *parum* P edd. ante Mvg. *imparem* Mvg. *parum aptum* Mlr et A. Mayerhoefer (Jahresber. II, p. 262; VIII, p. 322). *parum instructum* Rmn. (Quod iuxta est *praesidem* auctore Gron. in *praesidio* mutaverat Drak., quem secuti sunt Stroth, Bkr, alii.) Sic interpretor: exercitum, qui ibi esset, ut pacatae provinciae praesidem satis firmum esse, ita (exercitum) non satis firmum eo bello, quod motum iri videretur, provinciae praesidem futurum. Cf. 2, 47, 10 *eximia eo bello opera,* 23, 12, 11 *res bello bene gestae.* 23, 48, 7 *praesides provinciarum exercitus.* Omnes *bello* pro dativo acceperunt. At videbatur A. Cornelio exercitus ille pace satis firmus, bello non item. Bellum autem ac defectionem omnes spectare.

35, 3 *Erat Campanis* Wbn. *Campanis* P edd. Post *Hamas* potius *est* additum voluerat Fabri, addidit Mvg 1, ibidem *erat* Mvg 2, 3. Sed verisimilius est post *comparant* propter litterarum finalium similitudinem *erat* excidisse.

35, 11 *triduo* auctore F. V. Reizio Hz, Wbn, Mvg (nec aliter iam Grosse hoc intellexerat). *triduum* P edd. ante Hz. Ut de tempore conventus certior fieret Gracchus, non satis erat narrari post eum diem, quo legati Cumani advenerunt, festum esse, sed quam multo post docendum erat. Quod cum ita factum esset,

iussis Cumanis omnia ex agris convehere ipse pridie, quam statum sacrificium esset, Cumas movet castra. Accedit quod, quia nocturnum potissimum erat sacrum, triduum ac tres noctes (ut 44, 13, 4) scribi debuisse videtur, si non intervallum temporis, sed festi diuturnitas indicanda fuisset.

35, 13 *is summus* Mvg, Wbn 6 e P, cuius librarius sic distinguere voluisse videtur: *edixit uti cui summus.* Latet igitur *is,* sed ut verba ista qualiacumque efficerentur, alterum *s* neglectum est. *qui summus* edd. ante Gron. *summus* Gron. Drak. F, Als.

35, 15 Additur in P ante *nocturnum* hoc glossema: *triduum sacrificatum ad hamas,* in quo redit id, quod § 11 falsum erat, *triduum.* Adnotatio ea ex margine inrepsit. Uncis incluserunt Wbn sqq.

35, 16 *ad decimam diei horam* P m. 2. C edd. ante Gron., SD, Als. Wbn 1. *an decuma diei horam* P. *ab decima diei hora* Gron. Crev. Drak. Bkr, Mvg *(a* Mvg*). ante decimam diei horam* F, Hz, Wbn 6. Acc. *horam* indicio est non *ab* antecessisse *(decuma* autem fuit X*);* et, ut monet Fabri, „cum primis tenebris i. e. paulo post horam diei duodecimam convenire Gracchus milites vellet, quis crediderit eos iussos a decima demum diei hora corpora curare et somno operam dare?" Quod praeferunt alii, *ante,* militum cogendorum tempus minus definitum relinquit quam *ad* (sequente autem *dec.* facile *an* scriptum est); nam ad diem, ad horam quandam et similia etiam id fieri dicitur, quod in tempus illud ipsum cadit: 1, 7, 13 *Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus praesto essent,* 38, 25, 3 *Quo cum consul ad tempus cum praesidio equitum venisset.* Cic. Tusc. 5, 22 *alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad horam mortis destinatam,* Caec. 11, 32 *cum ad constitutam diem tempusque venisset,* Fam. 2, 11 *belli magni timor impendet, quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus.*

35, 19 *capta sunt* C edd. ante Mvg. *capta est* P. *capta * et* Wbn. *capti * et* Mvg. Lacunam statuere et ita mutare, ut numerum captivorum excidisse putandum sit, minime opus est; Livius interdum signa capta omissis captivis commemorat.

36, 2 *servorum* PC *(seruoruorum* P scr. pr.) Als. Hz, Wbn

1. *et servorum* Als. ed. min. Mvg. *servorumque* edd. rell. Cum id falso ratus est aut elevans perhibuit Hannibal, esse exercitum tironum (cf. c. 45, 8), eorumque magna ex parte servorum, tum hunc se exercitum hostes victos spoliantem ad Hannas inventurum. Addunt copulam, quasi servi non et ipsi fuerint tirones.

37, 2 *turrem aliam* scribendum esse etiam Mvg suspicatus est. *aliam turrem* cdd. edd., qui ordo verborum iam veteres editores offendebat, quamobrem post *ingentem* alterum hi *turrem* adposuerunt. Neque vero transmutationes in cdd. Livianis inauditae sunt.

37, 11 *milites amisit* cdd. edd. *milites* Mvg (ad *cepit* referendum). „Recte" inquit Mvg „comparatio poni poterat: *cum ipse non plus CCLXXX amisisset".* Immo vero is ipse sensus concessivus inest in lectione vulgata; constat enim apud Latinos ad nomina numeralia parce poni adverbia restringendi.

37, 13 *quinque milia* Als. sqq. *mille* edd. ante Als. *uel* P. Sic etiam c. 34, 13 et 46, 4 P habet *uel* (non *uet,* ut priore loco refert Als.) pro eo quod erat *u m* i. e. quinque milia, quod 46, 4 restituit Gron., ubi itidem legebatur *mille.* — 38, 3 et 5 *percont.* 1. 3. Mvg. *percunct.* P Al. Mog. sqq. — 38, 7 *condi iussis* Gron. sqq. *conditussis* P. *conditis* P m. 2. edd. ante Gron. — Ib. *viginti quinque parari* auctore Perizonio Fabri sqq. *XX paratis* P. *viginti paratas* 1. 3. Al. rell. „Scribe *parari.* Nisi tamen id verbum omnino delendum", Gron. — 38, 9 *quinquaginta quinque* P Als. Mvg *(lu* P*). LII* 1. 3. Mog. *L* Al. Ald. Frob. *quinquaginta* Grut. Gron. rell.

38, 13 *ea per* Gron. sqq. *ex per* P. *hec per* P m. 2. *et hec per* edd. ante Gron. Is error in P haud insolitus: 22, 22, 10 *ex* parte, 23, 48, 11 *ex* lege. — Ib. *centum milia* Rmn. *centum* edd. rell. Reperitur hic in P virgula super *c,* deest paulo ante in *cc.* Cf. supra ad c. 11, 9.

39, 1 *ex iis* 1. 3. Al. sqq. Mvg, Wbn 6. *cx his* PC Als. Hz, Wbn 1. — Ib. *Romam missae* edd. omnes. *romaemissa* P. *Roma remissae* Harant. — Ib. *ex cursu refugit* P Gron. sqq. *excursa fugit* 1. *excussa fugit* 3. Al. Mog. Ald. *ex cursu fugit* Frob. Grut. *ex custodia refugit* Fischer. Id potissimum narrat Livius, quo tempore Romani ad bellum Macedonicum se pararent,

Philippum denuo missis legatis cum Hannibale foedus fecisse; sed ab his verbis incipiens: *Dum haec Romani parant aguntque,* primum ad id, quod ante acciderat, regressus de nave illa captiva, quae refugerat, mentionem facit. Quam vero fugiendi occasionem reppererit ea navis, ut doceat, haec addit: *una ex iis, quae Romam missae erant,* h. e. quae Romam navigantes secuta erat, sive quae captis legatis comitibusque eorum in quinque illas naves Romanorum traductis una cum his Romam tendebat ac nautis ex parte Macedonicis permissa ex cursu refugit.

39, 2 *ignarus rex, quae* Als. Wbn, Mvg. *ignarus ex quae* P. *ign. hec quae* P m. 2. *ign. de iis quae* 1. 3. Drak. *ign. rex ecquae* e coni. Gron. Fabri. — 39, 3 *Boeotius* Als. Wbn, Mvg 1. *boeus | otius* P. *Boeotus* Mvg 2, 3. *Boreusetis* 1. 3. Al. Ald. *Berreus* Frob. *Beroeaeus* Drak. F. — 39, 6 *Combulteriam* P edd. ante Drak. Als. sqq. *Compulteriam* Drak. Bkr, F. — Ib. *Austículam* P edd. ante Grut. Als. Wbn, Mvg. *Saticulam* Grut. Gron. Drak. Cf. c. 14, 13. — Ib. *in iis* edd. ante Als. Mvg. Wbn 6. *in his* PC Als. Wbn 1, Hz. — 39, 8 *cum iis* edd. *cum his* P Als.

40, 4 *Hostus* Sil. It. (12, 347—413) Bkr, F, Hz, Mvg. *Hostis* P 1. 3. Al. *Hostius* Als. Wbn. *Hiostus* Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. Similiter c. 41, 3. — 40, 9 *dein per* Mvg, Wbn. *deinceps* P edd. ante Gron. *deinde* Gron. Drak. Bkr, F, Hz. *tum deinceps* Als.

41, 8 *classi* e cdd. Voss. Harl. aliis Als. sqq. *classis* P. *classe* edd. ante Als. Est in P abl. *classi* 24, 40, 2. 28, 7, 1. 30, 9, 7. Cf. amni, igni 23, 14, 13; 41, 14.

41, 11 *aestu* 1. 3. Al. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. *aestuque* PC (*quae* P) Bkr, F, Als. Hz. *vento aestuque* Mvg et Wbn. Simillimus est locus c. 14, 13 *amni traiecto perque agrum Saticulanum — Nolam pervenit,* ubi, cum propter particulam *que* post ablativum absolutum praepositioni *per* adiunctam claudicaret oratio, suadente Ottone Madvig *que* illud tollere non dubitavit; quo ipso modo hoc, qui adest, loco suasore eodem omnium ante Bekkerum exemplum secutus rem fortasse expedire debebat, praesertim cum, ut monet Drak. „teste Iac. Gronovio in hac Livii parte saepe copula *que* addatur, ubi Livius eam non adscripsit, vel auferatur, ubi prorsus erat necessaria". Sufficit de aestu, qui fretum Siculum traiicienti Appio faveret, mentionem facere; neque ventus unus idemque Messana Locros infimae Italiae oram circumvehentibus favebat. Post *ducto* omissum esse *vento* putat Mvg syllaba *to* utrumque claudente. Talis vero concursus verborum in binas litteras similes exeuntium si omissionem alterius conferret, ea sane omissio frequentissima foret.

Ib. *suo* PC suadente Gron. Bkr, F, Wbn sqq. *secundo* edd. ante Bkr. *summo* Als. Est *suo* sibi favente, opportuno atque idoneo. Cf. 1, 56, 8 et 4, 7, 6 *sua tempora opperiri, exspectare.* 4, 58, 2 *tantum afuit, ut ex incommodo alieno sua occasio peteretur.* 3, 62, 9 *suo Marte.* 42, 43, 3 *suo maxime tempore atque alieno hostibus incipere bellum posset.* — 41, 12 *repetit* cdd. edd. *repetiit* Rmn. Vid. ad c. 11, 1.

42, 2 *his* P Als. Hz, Wbn. *iis* edd. ante Als. Mvg. — 42, 5 *cum ploratum* edd. ante Drak., post F, Hz, Mvg. *conploratum* P 3. Drak. Bkr, Als. Wbn 1. qui parenthesi haec incluserunt: *comploratum — — posses conspicere;* quod a Latini sermonis elegantia abhorrere docet Fabri scribendumque tum fuisse *poteras conspicere.*

42, 10 *propraetoris* e coni. Walchii Kreyssig, Bkr sqq. *propri* P. *prope* 1. 3. Al. Mog. Frob. Grut. Crev. *proprii* P m. 2. Gron. Drak. SD. Cf. c. 39, 8 *M. Marcellum propraetorem Nolam in praesidium misit.* Fuit scribendi compendium origo erroris.

42, 12 *dicam* P Als. Wbn 1, Hz. *ducam* edd. ante Als. Mvg, Wbn 6. Reprehendit Hannibalem orator, quod, cum iuventus Hirpinorum et Caudinorum omnis sub signis eius militaret, ipse eos non defenderet, ac simul adulandi causa palam dicit (contendit, declarat, non opinatur tantum) has iniurias populo inlatas, quem in fidem suam recepisset, ei, qui tot acies Romanas fudisset, non fuisse aut esse tolerandas. Tacite ac fortasse inscii Mvg et Wbn a P discesserunt.

42, 13 *simul nobis* Fabri, Als. Wbn, Hz. *misul nobis* P. *misum nobis* P m. 2. *missum nobis* C 1. 3. Drak. SD, Bkr. *missum nobis erit* Al. Mog. Frob. Grut. Gron. Crev. *miseris simul nobis* Mvg. Exempla huius litterarum inversionis congessi Proleg.

22, 55, 8 ad *certe,* nec ulla emendatio certior esse potest quam haec Fabrii; Madvigio tamen non sufficit *simul* restitutum esse, sed addit praeterea *miseris,* quo verbo alii in pristina scriptura *missum erit* explicanda usi erant, velut Crevier: „Non modo miseris praesidium nobis, sed etiam eadem opera praesidium Nolae ademeris." Imminutum scilicet fore Nolae praesidium occisis, qui inde palati essent, Romanis, vel, ut vult Gron., occiso Nolae praesidio Romano. Aliter tamen hic locus intellegendus est. Queruntur legati Samnites populos praesidii Nolam prementis praedam esse, eamque totam terram armis praesidiisque Romanorum teneri fingunt; si vero Numidarum hi praeda facti essent, id quod facile esset effectu, eo ipso Hannibalem praesidium simul Samnitibus et Nolanis adempturum. Nam hos quoque eius fidem sequi: utrique populo quasi compedes esse adimendas.

43, 4 *se quoque* cdd. edd. *quoque se* coni. Siesbye, Mvg. Loquendi normae conveniens is est usus particulae *quoque*, ut vocem, ad quam pertinet, proxime sequatur, sed inveniuntur huius collocationis certae exceptiones, quae non sunt neglegendae. Ac primum quidem exempla docent verba sono carentia interdum interponi. 22, 27, 11 *castris se quoque separari* est in cdd., ubi tamen et Wbn et Mvg *quoque se* scribunt, quos incaute secutus sum de fide Puteanei ob errores quosdam vicinos etiamtum paulum addubitans. Haud aliter hoc, ad quem venimus, loco *Cannarum se quoque memoriam* cet. mutat Madvig *quoque se,* nimirum ob eam causam, quod vulgata collocatione verborum accentus iniiciatur in pronomen, quod latere debeat. At latet satis, si in recitatione ab intellegente quam levissime tangatur. Sic etiam apud alios scriptores pronomina inprimis et alia ἄτονα inseruntur inter ea, quae secundum regulam communem presse scribi debebant. Nep. Ages. 6, 2 *et se id quoque fieri debere animadvertisse,* Curt. 8, 31, 20 *Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs format,* 9, 23, 4 *Hoc tum more quoque servato* (quod iam mutant), Nep. Alc. 7, 2 *cum aut eum neglegenter aut malitiose fecisse loquerentur,* Cic. Lael. 84 *tum se denique errasse sentiunt.* Curt. 9, 13, 20 *Cuius morte ingemuit rex quidem, adiecit tamen* cet.

Adeo *quoque, quidem, denique,* alia, quae ad certum quoddam verbum referenda sunt, alio, quod minoris utique momenti sit, ab illo interdum separantur, quare arti pronuntiantis id permittendum est, ut, quod neglegenter collocatum esse videatur, moderatione vocis exaequet.

Iam vero est aliud exceptionis genus, ubi vocabulum *quoque* non post, sed ante eas voces ad quas spectat, collocatur. Liv. 4, 41, 3 *quae pensitanda quoque magnis ingeniis essent,* 4, 44, 9 *se quoque subiturum eam tempestatem forti animo,* 2, 22, 4 *Legatos quoque ad sollicitandum Latium passim dimittunt* (proprie ad Latium quoque). Curt. 6, 42, 9 *ut in custodia quoque torqueret* (pro eo, quod esse debet, ut torqueret quoque), 6, 20, 5 *sed cum illis quoque mores induerat,* 4, 40, 15 *ad satietatem quoque copia commeatus instructus,* 9, 37, 23 *regem quoque desperatio salutis aegritudine affecerat.* Quo modo interdum bina verba, quae coniunctim cogitanda sunt, seiunguntur: Liv. 25, 16, 11 *res quoque Romana,* 24, 18, 13 *pecuniae quoque pupillares,* 22, 14, 15 *ad aures quoque militum dicta ferocia evolvebantur,* 28, 35, 5 *substituerat animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam* (i. e. corporis quoque speciem), 6, 20, 7 *decora quoque belli.* Docent exempla particulam *quoque* non semper ad singula verba, sed etiam ad tota membra orationis connectenda usurpari, eamque ob causam loco non suo positum esse videri.

Vulgo critici liberiores illas verborum collocationes vexarunt. Sic etiam in his exemplis Taciteis: Ann. 13, 6 *tum quoque bellum deseruerat* („auch den Krieg hatte er aufgegeben"); quod Nipperdey non magis patitur quam alii id quod est ibm 11, 13 *comperto quoque Graecam litteraturam.*

43, 7 *egerat* Als. sqq. *gerat* P. *gerebat* edd. ante Als. — Ib. *fuerant* e coni. Crev. Mvg, Wbn 6. *fuerunt* P edd. ante Mvg.

43, 10 *obterit ut senescentem* Als. sqq. *obterit senesc.* Al. Mog. sqq. ante Als. *obtegit senesc.* 1. 3. *obteg///t senesc.* P., ubi tres litterae erasae sunt — suspicor autem fuisse *obtegerit* —, totidem suppositae, ut legi videatur *obteget ut*, e quo retinuerunt CM *obteget.* Confusio, nisi fallor, fuit duplicis scripturae, *obtegit* et *obterit,* ita ut falsum *eg* ante genuinum *er* poneretur; quo

modo cum ortum esset *obtegerit,* omitti potuit *ut* subsequens, quod tamen hic poscit sensus.

43, 13 *quam Hannibalis magis* Mvg. *quam Hannibalis* P 1. 3. Al. Gron. Drak. Als. Wbn, Hz. *magis quam Annibalis* Mog. Ald. Frob. Grut. Facilius quidem *magis* post *Hannibalis,* quod in easdem litteras exit, quam post *ipsorum* omissum est. — Ib. *poteretur* P Als. sqq. *potiretur* edd. ante Als.

43, 14 *casura* e coni. Nipperdeii Mvg 3, Wbn 6. *cessura* P 3. Al. Mog. sqq. *censura* 1. — 44, 1 *fuerit* e coni. Gron. Bkr, Wbn, Mvg. *fuerat* P edd. ante Bkr. — Ib. *sero* P edd. *serum* e coni. Gron. et Crev. Bkr.

44, 2 *mutare. An* Mvg. 2, 3. *mutare eam* P. edd. ante Wbn. *mutare eam. An* Wbn, Hz, Mvg 1. Ex arte scripto *mutare an* nullo negotio effectum *mutare eam.* At ultimo praesertim loco positum *eam* nimium ponderis habet. Si vero tota vis est in verbo, accusativus ut subiecti pronominis (vid. ad c. 34, 4), sic etiam obiecti omittitur. Postquam perdita est interrogandi particula, *non fuisse accersendum* dederunt editores.

44, 5 *tamen* edd. ante Wbn. *tam* P. *nam* Wbn, Mvg. — Ib. *permulti* scripsi. *perculsi* cdd. edd. Si scriptum fuit *prima eruptione permulti* ac paulo ante *primo impetu perculsi,* in illud librarius aberraverit. Offendit utique *perculsi* hoc loco recurrens, dum aliud aliquid exspectatur, quo pergrandem fuisse prae Romanis numerum Carthaginiensium caesorum significetur; cuius verbi iactura alias peperit dubitationes et fraudes: nuper enim pro eo, quod erat *tamen,* contra litteras permutandi consuetudinem *nam* sumpserunt, iam diu autem in numero caesorum utriusque partis frustra laborant. Modicum certamen commissum erat; *tamen* non pari Marte e pugna discesserunt. — Ib. *ceciderunt, haud plus quam triginta Romani* PCM (XXX P). *cec. h. p. quam triginta, Romanorum nullus* 1. 3. Al. rell. ante Bkr. *cec. h. p. quam triginta, Romani quinquaginta* Bkr, Als. Mvg, Wbn 6. *cec. (haud) plus quadringenti, Rom. quinquaginta* auct. Drak. F. *cec. amplius quadringenti, R. quinquaginta* Hz. *cec. h. p. quam trecenti, R. qu.* auct. Gron. Wbn 1. Tanta fluctuatione tenentur, qui *perculsi* ante *ceciderunt* retinent. Pro eo, quod sequitur, *imber* in P est *liber,* a qua littera *l* Gron. *quinquaginta*

mutuatus est, quamvis intellexerit falso narrari vincentium plures cecidisse quam eorum, qui victi sunt. Cf. c. 45, 1 *victis ante diem tertium* cet.

45, 2 *in agris; et* coni. Luchs. *in agro, sed* P edd. ante Als. *in agro; et* Als. Wbn, Mvg. E forma plurali nominis *s* ortum est. Cf. in agris, per agros vagari 4, 56, 5. 2, 60, 2. 26, 27, 12. Etiam ad alia verba pluralis numerus huius nominis vulgaris est, velut *hostem in agris non invenire* 3, 3, 6. 4, 21, 2. *agros incursare* 2, 48, 6. *pergere, descendere in agros Romanos* 3, 6, 7; 30, 4. *urbem agrosque dedere* 1, 38, 2. 6, 33, 3. 7, 31, 4. *Trepidatum non in agris magis quam in urbe est* 4, 21, 9.

45, 8 *derepto* e coni. Dukeri Mvg. *erepto* cdd. edd. Hoc habet ex Dukero Ruperti: „suspicari possis *derepto,* i. e. detracto: sed cf. Heins. ad Ovid. Met. 3, 52". Ubi Heinsius duo exempla verbi eripiendi attullerat: Virg. Aen. 11, 679 pellis erepta iuvenco, Stat. Theb. 4, 166 erepta iuvencis terga (*derepta* Gronovius in syllog. epist. tom. II, p. 565). Madvigii adnotatio haec est: „Deripimur et detrahimur de equo aut ex equo, non eripimur"; Fabri autem: „Codices omnes vulgatam tuentur, et nescio an Livii hoc modo scribentis menti obversatum sit: erepto ex sede sua, sive erepto ex loco, quo sedebat." Consultius fortasse hanc scripturam servant. Saepe *eripere* est abripere, vi rapere, celeriter comprehendere, ad se rapere. Curt. 6, 40, 33 *ego in ipso robore aetatis eripior.* Sall. Iug. 14, 15 *fratri per scelus vitam eripuit,* 31, 25 *per vim sociis ereptae pecuniae.* Curt. 3, 12, 5 *Flentes querebantur clarissimum regem — abluentem aqua corpus ereptum esse et extinctum,* 7, 27, 22 *exercitus velut erepto rege ingemuit.* Nep. Alc. 10 *familiaris sui subalare telum eripuit.* Neque *ex equo eripere* minus apte dici videtur quam *ex equo descendere* Cic. Cat. m. 10, 34, *ex equis desilire* Caes. b. G. 4, 2, *ex equis decidere, praecipitare* Nep. Eum. 4, Liv. 3, 70, 7.

45, 10 *En minor* F, Wbn, Hz. *enim minor* P (scilicet *nim* per dittographiam ex *min,* vid. c. 42, 13 *misul*). *Et enim minor* 1. *En nunc minor* 3. Al. Mog. Frob. Gron. Drak. Bkr. *En in minore* Mvg, qui sic liberius mutare pergit: *in minore re experiri vim* cet.

46, 6 *Numidae et Hispani* Wbn, Hz, Mvg. *numidae | ispani* P. *Numidae Hispani* Als. *Numidae Hispanique* edd. ante Als. Cf. Proleg. 22, 6, 6.

46, 9 *tenendum* e coni. Gron. Bkr, F, Hz. *petendum* P. *tutandum* edd. ante Bkr. *tuendum* Wbn 1. *obtinendum* Mvg, Wbn 6. In solita inversione litterarum non forte *netendum,* quod proxime in promptu erat, sed potius *petendum* in P scriptum est. Remotior est coniectura Madvigii.

46, 13 *Tunc* e coni. Walchii („Ipsa Livii coniungendi ratio ad hanc nos ducit emendationem") Bkr, F, Mvg, Wbn 6. *Hunc* P Al. Frob. Gron. Drak. Als. Wbn 1, Hz. *Hic* 1. 3. Mog. *Hic tunc* coni. Riemann de his locis admonens: 25, 18, 5 *Is tum Badius,* 25, 34, 3 *Is tum,* 23, 8, 4 *Huic tum pater iuveni.* Luchs *is* addere voluit. At qui Taurea Claudium quaesivit, eum fuisse, qui ut pristinus aemulus Claudii modo nominatus est, diserte indicare non quidem opus erat. Cf. 2, 12, 15 *Tunc Mucius,* 23, 47, 5 *Tum Campanus.* Si in scriptura coartata fuerat *aequaretunc,* id in *aequaretunc* nullo negotio commutatum est, atque adeo in *aequaret hunc,* eo magis, quod *hunc* pro obiecto ad verbum illud relatum est.

47, 3 *Iam* edd. omnes. *in* P. *hinc* P m. 2. CM. Pro quo *inde,* ut vult Als., tum demum legi posset, si sequeretur et *exierunt* et *repleverunt* (mutandum nimirum alterum utrum), ita ut, cum provocatus esset a Claudio Taurea, tum primum spectatum exisse Romanos et Campanos intellegendum esset. Putat Riemann *in* ex eo, quod multo post sequitur, *infestis,* utpote quod maturius scribi coeptum sit, huc translatum, et verba illa *cum iam ante f. d. rem nobilitassent* cum praecedentibus esse coniungenda. — Ib. *repleverant* Grut. Gron. Drak. Bkr, Mvg, Wbn 6. *repleverunt* P 1. 3. Al. Mog. Ald. Frob. F, Als. Wbn 1, Hz.

47, 4 *extrahebant* P m. 2. CM 1. 3. Al. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Als. Wbn, Hz. *extrahere* Bkr, F, Mvg. *extraherebant* P. scr. pr., in quo syllabam postremam Gron. (ad 6, 27) delendam esse declaravit, quod postea ipse non fecit. In duplici scriptura ante positi falsi augmenti exempla supra vidimus c. 43, 10 et 45, 10. Ad pugnam describendam imperfectum aptius est.

47, 5 *comminus* PC 3. Al. Mog. Frob. Als. Wbn. *cominus* 1. Grut. Gron. Drak. F, Mvg. — 47, 6 *deiecit* Gron. Drak. sqq. *delegit* PCM. *egit* Al. Frob. Grut. *duxit* 1. 3. Mog. Ald. — Ib. *Minime, sis* edd. edd. *nonne scis* 1. — Ib. *cantherium* PC Gron. sqq. *canterium* edd. ante Gron. *cauterium* 1. — Ib. *fossam* PC Stroth. sqq. *fossa* edd. ante Strothium, et quidem *fossa?* 1. 3. Al.

Minime, sis, i. e. Nullo pacto, quaeso. Simulat Taurea Claudium monitum suum minus intellexisse, seque in tale certamen descendere supersedere significat. Quod, ut monet Riemann, non commate solum distinguendum est ab hac altera exclamatione: *cantherium in fossam,* i. e. Ecce cantherium in fossam deiectum! Equitem Romanum ut re desperata iam praedae datum simulans illudit aufugiens Campanus, invidiamque turpis discessus in risum vertit aspernantis. Fuit enim is verbis ferocior quam re. Ceterum alii aliter interpretantur. — Ib. *prodita est* Mvg. *proditast* PC Als. Wbn. Hz. *prodita* edd. ante Als.

47, 7 *cava longe perequitasset via* scripsi. *exua longe perequitasset quia* P, sed super *q* in *quia* punctum positum est, ut sit *via,* ac praeterea *exua* in *exuia* mutatum. *ex via longe perequ.* edd. ante Bkr. *ea via longe perequ.* e coni. Perizonii Bkr sqq. Itaque *x* pro *a* scriptum esse iam omnes consentiunt, ac facillime in litteris rotundioribus *e* pro *c* scribebatur. Minus recte *ea via* dicitur, quia proprie non erat ea *via* appellanda: in cavam viam demitti equos Taurea iusserat, obsecundavit Claudius. Alschefski, qui *q* expunctum esse non animadvertit, *quia* tenet atque cum sequentibus coniungere conatur. — Ib. *rediit,* quod est in edd. recc., in tam longo verborum ambitu magis conveniens videtur, quam, quod praebent ceteri, *redit.* Vide ad c. 11, 1.

47, 8 *quam vera sit* e coni. Gron. Kreyssig, Bkr sqq. *quam veta | tis* P (*tis* pro *sit,* cf. c. 45, 10). *eius etatis* 1. *quam satis certam* e coni. Vallae 3. Al. sqq. ante Kreyss. — Ib. *communis* edd. pleraeque. *communis certe* P 1. Als. Perverse praemissum, quod mox sequitur, *certe.*

47, 8 *portae* cdd. edd. *porta* coni. Mvg. *patenti portae invectum,* i. e. postquam equo admisso in patentem portam inruit.

Hic enim non tam, qua via ingressus sit, quam quo modo ad urbem accesserit, narratur. De incursu magno impetu facto atque inruptione hostis verbum invehendi cum dativo coniungitur. Liv. 22, 5, 8 *terrae motus mare fluminibus invexit,* 44, 2, 3 *ut classis invehatur hostium litoribus,* 1, 59, 10 *invecta corpori patris nefando vehiculo filia.* Curt. 4, 13, 12 *quibus* (triremibus Tyriorum) *rex invectus* (i. e. contra quos) *ipsas demersit,* 8, 50, 33 *belua instincta rabie invehebatur ordinibus.* Tamen etiam extra hanc violentiae significationem ita scribitur: Iustin. 12, 10, 5 *ostio fluminis Indi invehitur* (revertens Alexander), 32, 3, 14 *alveo Savi fluminis invecti.* Tac. Ann. 2, 23 *plures* (legiones) *Caesar classi inpositas per flumen Amisiam Oceano invexit,* Germ. 40 *Terram matrem colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur* (i. e. curru advehi hominibus, ut etiam praesens rebus eorum se immisceat). (Cf. Cic. Tusc. 3, 12, 26 *Haec mala non inerant in iis, quae tibi casus invexerat).* Livius autem, ubi de quieto et placido in locum aliquem introitu mentio fit, *invehi* cum accusativo iungit, ut *triumphantem urbem invehi* 2, 31, 3. 4, 29, 4. 5, 23, 5. 9, 40, 20. 30, 45, 2. 35, 8, 9. 36, 39, 5. 38, 44, 10. 40, 43, 5. *portum, sinum invehi* 44, 7, 10. 38, 7, 2. 44, 1, 4. Raro *in urbem invehi:* 31, 20, 2; 47, 7. 34, 52, 10. Etiam analoga verba, quae alias cum accusativo vel *in* et acc. iunguntur, inprimis translate cum dativo in usu sunt, *incurro, incurso, incedo, incesso, invado, incido:* 22, 17, 6 *levi quoque armaturae hostium incurrere,* 28, 15, 3 *peditum signa cornibus incurrerunt.* Tac. Ann. 2, 16 *proeliantibus Romanis incurrerent.* Ov. Met. 7, 545 *nec armentis incurrere fortibus ursi.* Lucan. 4, 563 *cum sorte cruenta fratribus incurrant fratres natusque parenti.* Ov. Met. 14, 189 *luminis orbus rupibus incursat,* 2, 204 *incursant stellis.* Quinct. 10, 3, 28 *quae oculis vel auribus incursant.* Liv. 4, 57, 10 *cura patribus incessit.* Tac. Ann. 1, 51 *incessit* (dux) *itineri et proelio.* Caes. b. c. 3, 74 *exercitui incessit dolor.* Sall. Cat. 31, 3 *quibus belli timor incesserat.* Curt. 3, 2, 16 *cupido incessit animo.* Plaut. Rud. 3, 3, 31 *malitiae lenonis contra incedam.* Col. 2, 10, 1 *si sterilitas annorum incessit hominibus.* Cic. Fam. 16, 12, 2 *invaserat furor improbis.* Gell. 19, 4 *quibus invasit timor.* Lucr. 6, 12, 10 *his mortis*

metus invasit, Varro ap. Non. p. 499, 23 *cupiditas plerisque.* Liv. 44, 31, 4 *hi duo amnes incidunt Oriundi flumini,* 30, 10, 5 *ne ambiguo ictu suis inciderent* (tela), 21, 10, 10 *Saguntí ruinae nostris capitibus incident,* 1, 57, 6 *potantibus incidit de uxoribus mentio,* 2, 27, 5 *certamen consulibus inciderat.* Caes. b. G. 8, 12 *Cuius mali sors incidit Remis,* b. c. 3, 13 *terror incidit exercitui.*

48, 3 *Apuliam* Al. Mog. Frob. Gron. Drak. F, Mvg, Wbn 6. *Apulia* edd. 1. 3. Als. Wbn 1, Hz. Idem error 22, 57, 6 *terra.* — 48, 5 *teneri* 1. 3. Mog. F, Als. Wbn, Mvg. *ateneri* P, ubi littera *a* pertinet ad syllabam ultimam vocis praecedentis. *retineri* Al. Ald. sqq. usque ad Fabrium.

48, 7 *suppeditare* P Harl. *suppeditari* P m. 2. C edd. Sic enim in P adnexione facta ab ipso librario scriptum est: *suppeditareum,* quod proxime ortum esse videtur ex *suppeditare cum* (neutiquam ex *suppeditari cum*), aut forte iam ex eo, quod ab initio fuisse opinor, *suppeditare uerum,* confusis nimirum litteris *re* et *er. Tributo sumptus suppeditari* indefinitus est sermo non indicatis ullo modo iis, qui tributo pecuniam in sumptus suppeditarent, at *Tributo sumptus suppeditare* sic dicitur, ut de certis civium ordinibus sumptus tributo conferendo suppeditantibus cogitetur, nempe iis, quos pecuniam suppeditare oporteat, atque hoc loco de civibus Romanis in eo rerum statu agitur. Itaque, ut a codice principe firmior, sic aptior quoque per se est forma activa, quae vel ad universum populum Romanum vel ad patres consultantes civiumque curam agentes referatur. Sive igitur pronomen *se* sive nomen aliquod, *cives, homines,* pro subiecto intellegitur, cum consuetudine sermonis utique convenit. Quam late audiretur loco subiecti ad infinitivum in oratione obliqua pronomen personale, supra ad c. 34, 4 exemplis monstravi. Interdum pronomen omissum tam vagum atque incertum est, ut in Germanice convertendo ad indefinitum illud *man* commode confugiatur. Huiusmodi, ut exempla adferam, interpretatione uti voluerim 22, 51, 2 *prius venisse quam venturum sciant,* 7, 14, 5 *edicitur acie pugnaturos,* 42, 29, 3 *arma ferre.* Docet idem Zumpt. Gram. § 617 hoc usus exemplo Ciceronis: *Lex recte facere iubet, vetat delinquere* (audiendum *homines*). Ut pronomen omissum nonnumquam satis

dubium est, sic etiam nomen, quod ad infinitivum audiatur, interdum est paulo remotius. Sunt quidem actiones, quae ad officium certorum hominum pertineant, in quibus infinitivus activus simpliciter positus nihil ambigui habet ac facile toleratur. Quemadmodum saepe apud Livium (29, 7, 6. 34, 39, 13. 42, 59, 11) *receptui canere iussit,* nempe eos, quorum id munus erat, h. e. tubicines. 10, 9, 1 *Vocare tribus extemplo populus iubebat,* sc. eos, qui vocandi potestatem habebant. Similiter 25, 10, 6 *Hannibal Tarentinos sine armis convocare iubet.* 42, 66, 8 *clamor iubentium referre signa.* Simpliciter etiam Caesar: *pronuntiare iusserunt* (5, 33 et 34, b. c. 3, 65); *toto flumine naves conquirere iubent* (b. c. 1, 61); *castra munire iubet* (b. G. 2, 5, b. c. 3, 65). Nec aliter Cicero Cat. 3, 8, 20 *iidemque iusserunt simulacrum Iovis facere maius et in excelso conlocare et ad orientem convertere.* Isque de quolibet locutus Rep. 3, 14 (12) *Sapientia iubet augere opes* cet. *Iustitia praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum* cet. Brut. 4, 15 *Hesiodus eadem mensura reddere iubet, qua acceperis.* Att. 16, 15 *Desperatis Hippocrates vetat adhibere medicinam.* Tamen et apud Caesarem est *receptui cani iussit* (7, 47), *pronuntiari iubet* (5, 34), et apud Livium *receptui cani, signa ferri, referri, signum dari iussit* (37, 32, 6. 9, 14, 5. 26, 13, 11. 42, 59, 11. 24, 15, 5).

Praebent autem codices optimi alia quoque exempla infinitivi activi absolute positi, cuius pro re nata quaerendum sit subiectum. 37, 43, 2 *M. Aemilius fugam cernebat suorum — et stare primo, deinde redire in pugnam iubebat* (nempe eos, qui fugiebant). 23, 45, 1 *Marcellus victis ante diem tertium instare iubet* (sc. milites, qui pugnabant). 41, 3, 6 *Tribuni militum tertiae legionis pabulum lignaque proicere iubent* (eos nimirum, qui pabulum vel ligna portabant). 22, 51, 7 *quosdam et iacentes vivos invenerunt — reliquum sanguinem iubentes haurire* (eos, qui invenerant). De his quidem locis nullus, quod sciam, dissensus fuit; aliis vero adhibuerunt medicinam. Quae cum in pronomine omisso ita reperta esset, ut *se* adderetur (vid. ad c. 34, 4), nomen, quod desideraretur, supervacaneum factum est forma infinitivi in passivam mutata. In scriptione antiqua 31, 5, 9 *de auxilio mittendo tum respondere placere* codices nihil mutare putavit Drakenborch, iam

vero Hertz *responderi* refert ex Bambergensi, quem sequuntur recentiores. Tamen et Carbach et Gelenius *respondere* exhibent (sc. senatum). 25, 10, 6 *tum Hannibal Tarentinos sine armis convocare iubet* (ubi facile intellegitur eum, qui convocandi potestatem habebat). Infinitivum Madvig passivum reddit tum hic tum 3, 22, 6, ubi reliqui secundum cod. dant: *Inde signum observare iussit* (sc. tres illas acies, quas separatim circa vallum hostium instruxerat). In iis autem, quae sequuntur, et Madvig et Wbn activum infinitivum in passivum verterunt. 34, 37, 4 *interrogavit, quid se respondere ad ea aut quid facere vellent. Prope una voce omnes nihil respondere et bellum geri iusserunt* (sc. eum, qui interrogavit). Ubi *iusserunt* cum activo et passivo simul construi nolunt; at etiam Caesar b. civ. 1, 61, 4 *naves conquirere et Octogesam adduci iubent.* Nec ibi sane defuerunt, qui *conquiri* scriberent. Cf. ibm c. 32, 5 *qui omnia permisceri mallent, quam imperium exercitumque dimittere.* Simillimum exemplo Liviano proxime adlato hoc est; 42, 24, 5 *senatus consultus respondere ita iussit* (eum, qui senatum consuluit, ut iam hoc explanavit Drakenborch). 35, 34, 8 *pro se quisque revocare iubebant* (intell. eos, qui in contione aderant, singulos universosque obtestantes Eurylochum revocare iubebant). Ad fortiter agendum hortabantur amici Eurylochi, non modo ut eum revocari sinerent Magnetes; quamobrem forma passiva ne aptior quidem est. In hisce vero exemplis operatur, ut ita dicam, verbum iubendi, quocum coniunctus infinitivus inprimis vacat subiecto. Neque vero alius generis desunt exempla infinitivi pari modo mutati. 37, 32, 9 Q. Antonius a praetore L. Aemilio Regillo missus Phocaeenses adloquitur; — — *si absistere furore vellent, potestatem iis dare* (sc. praetorem, a quo missus esset) *eadem condicione, qua prius C. Livii in fidem venissent, se tradendi.* Hodie *dari* praeferunt, ut coniecerat olim Perizonius; sed cum ceteri antiqui tum Carbach et Gelenius *dare* probabant.

48, 8 *verum* scripsi. *um* P, ubi corruptum coaluit *suppeditarcum* pro eo, quod fuerat *suppeditareuerum. eum* P m. 2 (quae *i* addidit, ut esset *suppeditari*) M Harl. 1. 3. Rup. Als. *[eum]* Hz, Mvg, Wbn 6. *cum* C Drak. F. *verum eum* Gron. *verum cum* Al. Ald. Frob. *verum quum,* addito (ut iam apud Drak.

aliosque) *tum* post *imminutum* Mog. Grut. Crev. Stroth. *tum* Wbn 1. *et* Rm.

Coniunctione quidem opus est, quam adversativam sua sponte inserunt interpretes, ac *verum,* quod genuinum esse puto, in quibusdam edd. antiquis denuo emergit. Praeclare enim inter se congruunt hae sententiae: deficere iam ex provinciis vectigalia; tributo igitur cives pecuniam ad sumptus rei publicae necessarios suppeditare; verum id tributum conferentium numero imminuto aegerrime, qui superessent, suppeditare.

48, 10 *tempus* PCM 1. 3. Fabri, Als. Wbn, Mvg. *ad tempus* Mog. Ald. Frob. Grut. Drak. *rei publicae tempus commodarent,* i. e. solvendi tempus rei publicae commoditati permitterent, in pecunia reposcenda rei publicae commodo consulerent.

48, 12 *quoque die* Wbn, Hz. *quo* PCM. *qua die* edd. ante F. *et qua die* e coni. Drak. F. *et quo die* Mvg. Gron. sic distingui voluerat: *Haec praetor in contione* (sc. pronuntiavit): *edixitque qua die.* — Ib. *vestimenta, frumentum* (aut sine inciso) edd. edd. ante Mvg. *vestimenta ac frumentum* Mvg, Wbn 6. Monet Mvg nihil in his rhetorici ponderis aut artificii esse, quasi ea sola ratione ponatur bimembre dissolutum. Cf. c. 12, 4. Proleg. 22, 6, 6.

49, 2 *unum, ut militia vacarent* Gron. sqq. *unũ* | *mihiiauacarent* P (quem minus recte refert Gron.). *unũ* | *militarent* P m. 2, id quod nemo animadvertit; nam litteras *iiaua* vel punctulis vel lineolis adhibitis deletas voluisse corrigentem apertum est; postea *c* in *t* mutavit et *h* satis simile *li* invenit, qua ipsa confusione atque *i* pro *t* lecto principio scriptum erat *mihiia* pro *militia;* itaque m. 1. veram scripturam vix celavit, in versu mutando *ut* omisit; si vero *ne* omissum putetur, secundaria scriptura *ne militarent,* per se nihil habet, quod offendat. Ubi facilis error in P semel commissus est, longam seriem erratorum mirabilium secum traxit, quae enumerare supersedeo.

49, 3 *Hi mores eaque caritas* edd. edd. ante Mvg. *Ii mores* cet. Mvg, Wbn 6. „*Hi mores* cum dicit, mores significat, quos in proxime praecedentibus ostendit et adlato exemplo quasi ante oculos legentium posuit; *ea caritas* declarat caritatem, qualem, lectis prioribus, fuisse animo concipias.“ Fabri. Cuius varietatis

cum alia tum haec exempla praebent optimi codices: 3, 35, 3 *ea aetate hisque honoribus actis,* 3, 50, 12 *decemviri simul his, quae videbant, iisque, quae acta Romae audierant, perturbati;* 9, 11, 5 *ea fortuna, his locis, quae ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum.* Vulgo editores *iis* pro *his* tribus illis locis scribunt.

49, 4 *nec quicquam secus exercitui praestitum quam si* scripsi. *nec quicquam si* PC. *nec quicquam ac si* M. *nec quicquam desideratum ac si* 1. Al. Mog. Frob. Grut. *nec secus quam si* Gron. Drak. F. *nec quicquam quam si* Als. *n. q. secus militibus datum quam si* Wbn. *n. q. parcius militibus datum, quam si* Mvg.

Lacunae causa ea fuit, quod scriba post *quicquam* in alterum *quam* oculo aberrante hoc praetermisso (velut si id ipsum proxime scriptum esset) ab *si ex opulento* continuavit. Cf. 21, 41, 4 Itaque *quam si,* non, ut olim voluerunt, *ac si,* merito scribitur. Probabilius est, quod in reliquis exhibuerunt edd. vett., *secus.* De vestimentis, frumento, stipendio „Hispaniensi exercitui“ praebendis agitur (c. 48, 12), quamobrem vocem *exercitus* et verbum aliquod praebendi (quod ipsum paulo ante iterum occurrit) excidisse verisimile est. Dicitur autem stipendium, frumentum sim. exercitui *praestare* eadem fere vi, qua praebere, suppeditare, ut 5, 32, 5. 2, 18, 11. 42, 6, 6. Sall. Hist. 2, 96, 3 *utrum censetis me vicem aerarii praestare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse?* Ubi denique sequitur pluralis *alerentur,* nomen plurale *militibus* delegerunt. At ea verbi forma non minus cum singulari nomine collectivo, ubi distant paulum inter se, coniungitur; cuius generis exempla apud Livium frequentissima sunt. Nam in enuntiatis secundariis, quae nomen collectivum vel sequens vel antecedens respiciunt, praedicatum sic saepe constituitur, ut ad singulos illos, qui collectivo illo comprehenduntur, accommodetur. Itaque exercitus, senatus, populus, plebs sic habentur, ut si essent milites, senatores, cives, plebeii. 1, 27, 8 *suo iussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant.* 3, 28, 2 *Tum, quo fuerant ordine in via, exercitum omnem longo agmine circumdat hostium castris.* 26, 21, 16 *exercitus Romanus — partim quod in oppidis hibernare vetiti*

erant. 2, 58, 6 *inbiberant*, 45, 35, 8 *eos — ut adessent.* 26, 2 11 *exercitum, honeste genitos, liberaliter educatos.* 23, 14, 8 *senatum metus cepit, si propalam tenderent.* 21, 11, 1 *prope omnis senatus Hannibalis erat, infestiusque locutum arguebant Hannonem quam Valerium legatum Romanum.* 4, 54, 5 *si satis animi populo esset ad id, quod tam diu vellent.* 6, 21, 5 *Tum, ut bellum iuberent, latum ad populum est.* 4, 17, 5 *obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem ullam ab Romanis possent* (cod. Veron.). 1, 26, 12 *Non tulit populus nec patris lacrimas — — absolveruntque* cet. 1, 41, 1 *Clamor inde concursusque populi, mirantium, quid rei esset.* 3, 37, 5 *Id modo plebes agitabat, quonam modo tribuniciam potestatem — repararent.* 3, 29, 8 *plebes vicit, ut quintum eosdem tribunos crearent.* 2, 18, 8 *magnus plebem metus incessit, ut intentiores essent ad dicto parendum.* 2, 35, 8 *plebem impelli, ut arma caperent.* 4, 58, 12 *consilia agitent* (Veron.). 1, 17, 11 *ne victi viderentur* cet.

49, 9 *circa a Romanis* Wbn, Mvg. *circa Romanis* P 1. 3. Als. *circiter Romanis* Al. Mog. sqq. ante Als. — 49, 11 *potiti sunt* P edd. ante Mvg. *potiti sint* e coni. Vossii Mvg. Consecutive efferuntur ea, quibus vis ipsius pugnae eruptione e castris commissae describitur, deinde separatim, quid post primam pugnam eodem die gestum sit, narratur.

Druck von Friedr. Andr. Perthes in Gotha.

87LE F91
Frigell
Prolegomena in T Livii librum XVII

COLUMBIA UNIVERSITY
0026055023